DG123
.B56

LIBRARY OF PRINCETON
MAR 15 1911
THEOLOGICAL SEMINARY.

Division DG123
Section .B56

DE DIVINIS HONORIBUS

QUOS ACCEPERUNT

ALEXANDER ET SUCCESSORES EJUS

TOLOSAE. — EX TYPIS A. CHAUVIN ET FILS, VIA DICTA DES SALENQUES, 28.

LIBRARY OF PRINCETON
* MAR 15 1911
THEOLOGICAL SEMINARY.

DE

DIVINIS HONORIBUS

QUOS ACCEPERUNT

ALEXANDER ET SUCCESSORES EJUS

THESIM

PROPONEBAT

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

Aemilius BEURLIER

PARISIIS

APUD ERNESTUM THORIN EDITOREM

7, VIA DICTA DE MEDICIS, 7

MDCCCXC

TA

EE · ET · RR · DD · F · M · B · RICHARD
S · E · R · CARDINALI · PRESBYTERO
ARCHIEPISCOPO · PARISIENSI
PII · GRATIQVE · ANIMI · PIGNVS
D· D· D·

DE DIVINIS HONORIBUS

QUOS ACCEPERUNT

ALEXANDER ET SUCCESSORES EJUS

PROOEMIUM

NUM ANTE ALEXANDRUM DIVINOS HONORES ACCEPERINT QUI REBUS PUBLICIS GRAECORUM PRAEFUERUNT.

Non primi fuerunt Caesares qui divinos honores ab iis acceperunt, quibus imperabant. Immo nemo negabit non semel quaedam, prius ad Graecos reges rite colendos instituta, ad Romanorum imperatorum religionem posterius fuisse accommodata. Ante illos enim Alexander et successores ejus, non modo post mortem, sed etiam dum mortale aevum agebant, dii habiti sunt. Quam ob causam divinitatem sibi illi vindicaverint, et quos honores populi sub eorum dicione viventes illis tribuerint, ex historiis et titulis quaerere in hoc libello mihi propositum est.

Ante tamen quam materiem ipsam aggredior, inqui-

TA

rendum habeo num ante Alexandrum Graeci inter deos rettulerint eos qui rebus publicis praefuerunt.

In aperto est nihil in Graecorum religione obstisse quin ii qui mere homines nati erant, post mortem, inter deos et heroes collocarentur. Ne ab ultima antiquitate res repetam sed statim a fabulis ad facta veniam, historiae fide comprobatum est viros nonnullos, varias ob causas, rite ut deos honoratos fuisse.

Peculiari primum religione civitas quaeque proprium conditorem coluit (1). Ut Athenienses Theseo, cujus opera in unum redacta civitas fuerat, decemque tribuum suarum ἀρχηγέταις seu ἐπονύμοις templa aedificaverant et sacrificia obtulerant (2), ita Miltiadem Chersonenses (3), Hieronem Aetnenses (4), Brasidam Amphipolenses sanctissime habuerunt (5).

Praeter suos conditores, saepe etiam publicis ritibus civitates eos honoraverunt qui, patriam contra hostes defendendo, perierant aut rem publicam ex tyrannorum dominatione in libertatem vindicaverant. Ne in re nota multus sim, sufficiat memorare annua festa in honorem militum qui in Marathoniis campis (6) Plataeisve (7) aut

(1) Fustel de Coulanges, *Cité antique*, p. 161. Herodot., VI, 38 : ὡς νόμος οἰκιστῇ.

(2) Thucyd., II, 15. Pausanias, I, 5, 1. Cf. Gilbert, *Handbuch der Griech. Staatsalt.*, I, p. 191. Schoemann, *Antiquités Grecques*, in Gall. transl., II, p. 620 et seq.

(3) Herodot., VI, 38.

(4) Diod. Sic., XI, 66.

(5) Thucyd., V, 11.

(6) Pausanias, I, 32, 4.

(7) Thucyd., III, 58. Plutarch., *Aristid.*, 21.

ad Thermopylas (1) occubuerunt, instituta. Quid dicam de Atheniensibus qui Harmodium et Aristogitonem diis in omnibus pompis et sacrificiis sociare consueverant (2). Nihil est quod talia miremur cum scimus saepius, ex oraculorum responsis, poetas, philosophos et etiam athletas divinos honores accepisse, plebemque ipsam, ut ita dicam, mortuorum non omnino religione quadam caruisse (3).

Rarius tamen videmus reges aut tyrannos ante Alexandrum inter deos, etiam post mortem, fuisse collocatos. Gelonem quidem et Timoleonem Syracusani (4), Theronem Agrigentini, Euphronem Sicyonii (5) heroicis honoribus donaverunt. Sed hi omnes, omisso Euphrone, Siculi sunt; in ea scilicet regione vixerunt quae jamdudum a Phoeniciis didicerat divinos honores ducibus suis tribuere (6).

In Graecia vero proprie dicta Sicyoniorum erga mortuos exemplum nullam civitatem imitatam esse videmus, nedum ullum ex suis civibus adhuc viventem coluerit!

Hujus facti si causam quaesiveris duplicem invenies. Altera desumitur ex opinione apud Graecos vulgatissima, nihil optimo viro periculosius esse quam vana superbia

(1) Bergk, *Poet. Lyr. Graec.*, II, 1113. De his et de aliis quos omitto, vide Roscher, *Ausführliches Lexikon der Griech. und. Röm. Mythol.*, t. I, p. 2521 et seq.

(2) Demosthenes, *Or.*, XIX, p. 280. Cf. Roscher, *ibid.*, p. 2523.

(3) Roscher, *ibid.*, p. 2526 et seq. A. Maury, *Religions de la Grèce ancienne*, I, p. 560 et seq. Fustel de Coulanges, *Cité antique*, p. 15, etc., etc.

(4) Diod. Sic., XI, 38. Plutarch., *Timoleo*, 39.

(5) Xenoph., *Hell.*, VII, 3, 12. Fuit Euphro honoratus ut ἀρχηγέτης τῆς πόλεως.

(6) Herodot., VII, 166. Cf. Roscher, *Ausführl. Lexikon*, p. 2520.

supra naturam humanam extolli velle, moxque eos qui tantam audaciam habeant praecipites dari (1).

Altera pendet ex ipsa rei publicae forma apud Graecos usitata. Quid enim erat cur apud Aegyptios aut Persas, reges dii haberentur, nisi quod, ex divina stirpe oriundi, jus imperandi ex sua origine, non ex populorum voluntate, possidebant? Divina qua fruebantur natura gentem in quam regnabant religiosa quasi superstitione facilius in officio continebat. Longe alia erat Graecarum civitatum disciplina. In illis annui erant, aut ad certum tempus electi magistratus, quorum potestatis quasi fons erat populi voluntas. Immo nihil magis timebant cives quam ut tyrannidem occuparent qui rebus publicis praeerant. Quis vero neget consecrationi non nullum semper inesse tyrannidis odorem, suspicionemque appetiti regni? Is enim qui supra humanam conditionem extollitur inter privatos redire non potest, et ejus filii patris divinitatem sui imperii quasi tutamen plerumque invocant.

Una in Graecia civitas, Spartanorum, reges habuit, qui generis sui auctores semideos laudabant, et ob eam nobilitatem ἀχαργέται dicebantur. Hos cum in pugna caderent quasi heroes fuisse honoratos arbitratus est Keil (2), nititurque doctissimus vir quodam loco libelli cui titulus *de Lacedemoniorum republica*. In hoc enim libello legitur : αἱ δὲ τελευτήσαντι τιμαὶ βασιλεῖ δέδονται, τῇ δὲ βούλονται δηλοῦν οἱ Λυκούργου νόμοι, ὅτι οὐχ ὡς

(1) Cf. Xenoph., *Cyrop.*, VIII, 9, 3.
(2) Keil, *Analecta epigraph. et onomatol.*, p. 46 et seq.

ἀνθρώπους, ἀλλ' ὡς ἥρωας τοὺς Λακεδαιμονίων βασιλεῖς προτετιμήκασιν (1).

Constat autem honores de quibus libelli scriptor loquitur eos esse qui apud Herodotum describuntur (2). Nihil vero in Herodoti narratione invenitur quod ea superet quae mere homini tribui possint.

Asserere igitur nobis licet nullam in Graecia proprie dicta civitatem divinos honores magistratibus suis, sive per vitam, sive post mortem, tribuisse.

Primus Lysander a Samiis et ab aliis quibusdam populis obtinuit quae in patria se obtinere non posse optime noverat. Vivo illi in insula Samo arae aedificatae sunt, et Junonis festum, antiquo nomine mutato, illius nomen accepit. Quaedam etiam civitates in Lysandri laudem sacra carmina cecinere, quae Graeci Paeanas vocant (3). Sed haec omnia Spartanis invisa fuerunt et aliquam merito ansam dederunt suspicionis. Notandum etiam Samum insulam, Asiatico litori proximam, minus a barbarorum moribus abhorruisse, apud quos mos erat regibus insitum quoddam numen venerari.

Rectius Agesilaus Thasios derisit; ii enim cum templa construxissent, misissentque legatos qui rogarent quos sibi honores ipse optaret, a Spartanorum rege lepide interrogati sunt num deos facere possent. Aientibus illis, rettulit continuo Agesilaus, « se omnes ipsi facerent

(1) *Resp. Lac.* (Inter Xenoph. opera), 15, 8.

(2) Herodot., VI, 58. Cf. Roscher, *Ausführl. Lexikon*, p. 2521.

(3) Duris apud Plutarch., *Lysander*, 18. *Fragm. Hist. Graec.* (edit. Muller), II, p. 484, n. 65. Athenagor, *Legat. pro christianis*, 14. Cf. Panofka, *Res. Sam.*, p. 73.

deos, et tunc se ab iis deum posse fieri esse creditu-rum (1). »

Quae Graecia libera magistratibus suis negaverat Philippus sibi ipse largitus est. Postquam enim totam regionem in potestatem suam redegerat, humana condicione major videri, et diis sociari in animo habuit. Cum enim Olympiadem res suas habere jussit et Cleopatram in matrimonium ejus loco duxit, pompam solemnem decrevit in qua, post duodecim deorum majorum statuas, regis imago tertia decima gereretur. Quae quidem divinis ornamentis ut ceterae insignita erat et solio sedebat (2). Forsitan tentavisset rex majores honores sibi vindicare, sed mors prohibuit. In ipso enim festo, in quo proprios immortalibus diis honores usurpavit, Pausaniae gladio occubuit.

Constat igitur tum primum a vivo homine divinos honores, non dicam acceptos sed occupatos fuisse, cum periit libertas, cumque non populorum suffragiis sed armorum vi et proprio quasi jure, Macedonum rex Graecarum rerum potitus est.

(1) Plutarch., *Apophteg. Laced. Agesilas*, 25. Edit. Didot, III, p. 256.
(2) Diod. Sicul., XVI, 92 et 93.

CAPUT PRIMUM.

DE DIVINIS HONORIBUS QUOS VIVUS ACCEPIT ALEXANDER.

Quae pater perficere nequiverat, Alexander, Philippi filius simul et haeres, feliciter perfecit. Primum de divina illius origine fama pervulgata est : scilicet Olympiadem eum non e Philippo sed « ex serpente mirae magnitudinis concepisse (1). » In serpentis nempe formam se contulerat Jupiter quo reginam facilius adiret. Huic ut fabulae fidem faceret, Alexander Ammonis auctoritatem illi adjunxit. Rex enim, devicta Aegypto, desertum petiit cum exercitu ut oraculum consuleret.

« Ingredientem templum statim antistes, ut narrat post Pompeium Justinus, regem ut Ammonis filium salutavit. Ille laetus dei adoptione, hoc se patre censeri jubet. Rogat deinde an « omnes interfectores parentis sui sit ultus? » Respondetur « patrem ejus nec posse interfici nec mori. » .... Comitibus quoque suis responsum « ut Alexandrum pro deo non pro rege colerent (2). »

(1) Justin., XI, 11.

(2) Justin., XI, 11. Plutarch., *Alexand.*, 27, 3. Diod. Sicul., XVII, 51. Strabo., XVII, 1, 43. Arrian., *Anab.*, III, 3, 2; 4, 5.

Addit idem Justinus non sponte sua locutos fuisse Ammonis sacerdotes, immo Macedonum regem eos per praemissos legatos « subornavisse quid sibi responderi vellet. » Aliorum quorumdam sententiam profert Plutarchus, qui dicebant Ammonis vatem, cum lingua Graeca uti tentaret ad blandiendum Alexandro, illiusque sermonis insolens esset, ultimam verbi mutavisse litteram et pro ὦ παιδίον dixisse ὦ παιδίος. Quem errorem laeti acceperunt in omen rex et amici, quasi dixisset oraculum : ὦ παῖ Διός (1).

Haec aut alia ejusdem modi Graeci inter se occulte dictitabant. Jocos pro minimo habuit Alexander et ex hoc tempore filius Ammonis vocari voluit ; cumque in conviviis purpura indutus accumberet, ex utraque capitis parte cornua gerebat, quae Ammonis propria sunt (2).

Magna enim cogitabat rex et plus quam humana, cumque Perseum et Herculem generis sui auctores agnosceret, ipse Jovis filius credi volebat illorum instar, quorum praeclara facinora tentaturus erat imitari (3). Jam vero divinam originem sibi assumendo non tantum vanae superbiae indulgebat. Hac enim vulgata opinione, sperabat se barbaras gentes facilius in suam dicionem, redacturum. Nec immerito. Aegyptii enim quorum reges Ra, id est Solis, filii erant, libenti pronoque animo filium Ammonis venerati sunt, Alexandrumque, ut mos est

(1) Plutarch., *Alexand.*, 27, 4.

(2) Ephippos apud Athen., *Deipnosoph*, XII, 53, p. 537 *d*. Cf. *Script. rerum Alex. Magni*, edit. Didot, p. 125, n. 3.

(3) Arrian., *Anab.*, III, 3, 2.

apud illos, regio cognomine Hircum appellaverunt, cornibus Ammonis alludentes (1).

Non tamen Ammonis tantum sed et aliquando Mercurii, vel Herculis, vel etiam Dianae habitum prae se gessit, forsan ut, cuique genti acceptissimi numinis similitudine, ipse fieret acceptior (2). Ita cum videret ab Arabibus duos maxime deos coli, Caelum scilicet et Dionysum, alterum quod omnia sidera contineret, alterum quod Indos subegisset armis, voluit et ipse tertius coli ut qui non minora peregisset quam Dionysius (3).

Recte igitur intellexisse mihi videtur Arrianus qua mente divinam sibi originem finxerit Alexander, cum ait : Ὅτι δὲ ἐς θεὸν τὴν γένεσιν τὴν αὐτοῦ ἀνέφερεν, οὐδὲ τοῦτο ἐμοὶ δοκεῖ μέγα εἶναι αὐτῷ τὸ πλημμέλημα, εἰ μὴ καὶ σόφισμα ἦν τύχον ἐς τοὺς ὑπηκόους τοῦ σεμνοῦ ἕνεκα. Οὔκουν δοκεῖ ἔμοιγε ἡ Μίνωος γενέσθαι βασιλεὺς ἀφανέστερος ἢ Αἰακοῦ, ἢ Ῥαδαμάνθυος οἷς δὴ ἐς Δία ἀνενεχθεῖσα ἡ γένεσις πρὸς τῶν πάλαι ἀνθρώπων οὐδεμιᾷ αὐτῶν ὕβρει προστιθέναι, οὐδὲ Θησέως τοῦ Ποσειδῶνος, οὐδὲ Ἴωνος τοῦ Ἀπόλλωνος (4).

(1) Lauth, *Abhandl. d. Philos. philol. class. d. K. Bayer. Akad.*, 1876, p. 1. Legimus apud Callisthenem oraculum Branchidarum Alexandrum in urbe Memphi etiam dixisse filium Jovis. Strabo, XVII, 1, 43. *Script. rerum Alex. Magni*, edit. Didot, p. 25, u. 36.

(2) Ephippos apud Athen., *Deipnos.*, XII, 53, p. 537 *d*. Cf. *Scriptores Alex. Magn.*, edit. Didot, p. 125, n. 3. Prope Corinthum aderat Alexandri signum Jovis habitu. Pausanias, XIV, 11.

(3) Arrian., *Anab.*, VII, 20, 1. Eos honores, quos Dionyso fuisse tributos fabula referebat, ex India redeuntem accepisse Alexandrum aiunt Diod. Sicul., XVII, 106. Plutarch., *Alex.*, 67. Q. Curt., IX, 10, 24. Athenaeus, XII, 9. Negat Arrianus, *Anab.*, VI, 28.

(4) Arrian., *Anab.*, VII, 29, 3. Censet contra Grote Alexandrum divinitati suae superbia stulte obcaecatum credidisse. *History of Greece*,

Optimum sane argumentum! Quo tamen non omnes ad fidem Ammoni adhibendam Macedones adducti sunt. Multi enim inter eos, memoriae Philippi addicti, aegre ferebant Alexandro « fastidio esse patriam, abdicari Philippum patrem, caelum vanis cogitationibus » peti (1). Philotas Parmenionis filius regi qui « pro jure familiaris usus et amicitiae, » per litteras nuntiaverat qualis sors edita esset Jovis Ammonis oraculo, rescribere non dubitaverit : « se quidem gratulari (*regi*) quod in numerum deorum receptus *esset ;* ceterum misereri eorum, quibus vivendum esset sub eo qui modum hominis excederet (2). »

Intellexit primum Alexander quantum amicos suos offenderet eum deum vocari quem regem salutare gaudebant. Etenim cum barbaros superbe tractare soleret, submisse modesteque cum Macedonibus semper egit, ut qui contra communem eorum opinionem apertius ire timeret (3). Adulantibus saepius facete respondebat, quasi divinitatem suam minimi faceret, vel etiam incertam arbitraretur. Nonne enim jocantis est dictum illud Alexandri, qui, sagitta vulneratus, monuit ex vulnere fluere sanguinem non vero

ἰχὼρ οἷός πέρ τε ῥέει μακάρεσσι θεοῖσιν (4)?

in Gallica transl., XVIII, p. 177. Cf. ea quae profert V. Duruy, *Histoire des Grecs*, III, p. 271.

(1) Q. Curt., IV, 10, 3.

(2) Q. Curt, VI, 9, 17.

(3) Plutarch., *Alexand.*, 28, 1 et 3.

(4) Plutarch., *Alexand.*, 28, 1. Cf. Athenaeum, *Deipnosoph.*, VI, 57, p. 250. Plut., *Reg. et Imp. apopht. Alexander*, 16. *De Alex. Magni Fort.*, II, 9. Q. Curtium, VIII, 10, 27. Senecae, *Epist.*, VI, 7 (= 59), 12.

vel illud quo Anaxarcho quaerenti cur rex non tonaret, cum esset Jovis filius, rettulit « ne terream amicos (1) »? Similiterque Nicesias, cum regem videret aegrotantem, diceretque : « Quid de nobis erit si dii talia patiuntur, » nullum, si Phylarcho fides adhibenda est, ab Alexandro accepit responsum nisi acerbum illud : Ποῖοι θεοί; φοβοῦμαι μὴ τοῖς θεοῖσιν ἐχθροί (2).

Etsi ita saepius locutum fuisse Macedonum regem facile credo, Plutarchi tamen potius quam Alexandri eam sententiam esse arbitror : « Jovem esse natura omnium hominum patrem et optimos quosque in filios adoptare (3). » Jure vero ex his quae modo narravimus concludit idem Plutarchus : δῆλός ἐστιν αὐτὸς οὐδὲν πεπονθὼς οὐδὲ τετυφωμένος, ἀλλὰ τοὺς ἄλλους καταδουλούμενος τῇ δόξῃ τῆς θειότητος (4).

Haec regni sui initio cogitavit Alexander. Difficilius vero illi fuit, post eversum omnino Persarum imperium totque debellatas gentes, pristinum semper modum servare. Blandissime accepit honores quos illi Persae tribuerunt. Persica tunica indutus, Asiaticos mores magis magisque usurpavit (5), graviterque tulit stare Macedones, cum Persae venerabundi corpora humi prosternerent; immo coepit animo agitare quo modo caelestes honores etiam ab illis acciperet (6).

(1) Plutarch., *Alex.*, 28, 2. Satyros apud Athenaeum. *Deipnosoph.*, VI, 57, p. 251.
(2) Athen., *Deipnosoph.*, VI, 58, p. 251.
(3) Plut., *Alex.*, 27. *Reg. et imp. apopht. Alexander*, 15.
(4) Plut., *Alex.*, 28, 3.
(5) Arrian., *Anab.*, IV, 9, 9.
(6) Q. Curt., VIII, 5, 5.

Haec cum Alexander cogitaret, magis magisque iratus erat in eos qui ipsius divinitatem non agnoscebant. Non aliam esse causam puto cur de Philota tam dura supplicia sumpserit. Nullo enim modo probari poterat illum cum Dymno de regis morte conjuravisse. At Philotae crimini fuit litteras scripsisse quas supra commemoravimus (1). « Haec sunt, inquit Alexander, et jampridem animi alienati a me, et invidentis gloriae meae (2). » Frustra Philotas se, amicitiae et veri consilii periculosa libertate deceptum, talia non de rege, sed regi scripsisse fatetur, nec quod regi invideret, sed quod pro rege timeret (3), ob spretam Alexandri divinitatem, potius quam ob paratas insidias, capitis damnatur.

Veram hanc esse damnationis causam testantur et verba Bolonis Philotam accusantis : « Jovis arguisse mendacium, Alexandrum filium agnoscentis, scilicet veritum ne invidiosum esset quod dii offerrent (4), » et ipsius Philotae confessio, qui, cum a cruciatu se liberare vellet, Hegelochi, totius mali auctoris, nomen detulit. « Ille, inquit, cum primum Jovis filium se salutari jussit rex, id indigne ferens : « Hunc igitur regem agnoscimus, inquit, qui Philippum dedignatur patrem?... Non homines solum sed etiam deos despicit qui postulat deus credi (5). »

(1) Vide supra, p. 10. Saepius Philotas regis divinitatem irriserat et illius verba ad Alexandrum delata fuerant. Cf. Plutarch., *De Fortuna Alexandri*, II, 7; *Alexand.*, 48.

(2) Q. Curt.. VI, 9, 19.

(3) *Ibid.*, VI, 10, 26.

(4) *Ibid.*, VI, 11, 5.

(5) *Ibid.*, VI, 11, 21. Cf. Grote, *History of Greece*, II, c. XCIV; Gallic. transl., XVIII, p. 234.

Quis mirabitur, cum tam saeve animadverteretur in eos qui contra regem dicere auderent, non defuisse perniciosam adulationem ? Quos olim irridebat adulatores, mox libentius audivit Alexander, optimisque ducibus anteposuit illa, de quibus loquitur Q. Curtius, « urbium suarum purgamenta (1). » Inter quos impudentiores erant Agis quidam Argivus, « pessimorum carminum conditor, » et Siculus Cleo. Hi saepius praedicabant Herculem et Dionysum, Pollucem Castoremque novo numini cessuros. Nec minora de rege profitebatur Anaxarchus ille de quo supra locuti sumus (2).

Quorum mendaciis deceptus suos tandem Macedones tentare statuit Alexander ut et ipsi Persarum more regem adorarent. De novo igitur ritu instituendo ut colloquerentur praecipuos exercitus duces provocavit. Primus Cleo Persarum mores laudavit. Hos enim « non pie solum, sed etiam prudenter reges suos inter deos colere; majestatem enim imperii salutis esse tutelam (3). » Alia verba Anaxarcho Arrianus accommodat, valde mea quidem sententia inconsiderata : « meliori jure Alexandrum deum appellari quam Dionysum et Herculem, non modo quod majora Alexander operatus sit, sed quod nihil ad Macedones pertineant Thaebeus Dionysus aut Argivus Hercules. Se nullo modo dubitare quin regem suum, cum e terra discesserit, inter deos reponant. Quanto igitur sapientius sit nunc vivum venerari quam postea mor-

(1) Q. Curt., VIII, 5, 5.
(2) Arrian., *Anab.*, IV, 9, 9.
(3) Q. Curt., VIII, 5, 11.

tuum, cui de veneratione nulla sit utilitas futura (1). »

Jam multi in illius sententiam discedebant ne regi displicerent, cum Callisthenes, probantibus nonnullis, ita disseruit : « Nullum esse eumdem et diuturnum et praecoquem fructum, caelestesque honores matura hac veneratione non dari, sed auferri; intervallo enim opus esse ut credatur deus, semperque hanc gratiam magnis viris posteros reddere. » « Ego autem, aiebat, seram immortalitatem precor regi, ut vita diuturna sit et aeterna majestas. » Et ad Cleonem : « Herculem modo et patrem Liberum consecratae immortalitatis exempla referebas. Credisne illos, unius convivii decreto deos factos ? Scilicet ego et tu, Cleo, deos facimus ? a nobis divinitatis suae auctoritatem accepturus est rex? Potentiam tuam experiri libet : fac aliquem regem, si deum potes facere : facilius est caelum dare quam imperium (2). »

Haec vel alia hujusmodi inter se loquebantur regis comites in convivio cui aderat Alexander. Rex vero per breve tempus a caenaculo exierat, quo liberius quisque

(1) Arrian., *Anab.*, IV, 10, 6. Cf. Q. Curt., VIII, 5, 11.

(2) Q. Curt., VIII, 5, 15. Apud Arrianum idem Callisthenes longe disserit de variis honoribus quorum alii hominibus, alii diis debentur, inter quos reponit adorationem, nefas illi videtur nimios hominibus honores tribuere. Diis enim tantum displiceat hominem caelestes illegitime suffragiis honores usurpare quantum Alexandro privatum regios honores. (*Anab.*, IV, 11.) Si Plutarcho creditur, antea Callisthenes cum Hephaestione pactum fecerat de adorando rege, postea vero fidem fefellit. Cf. Plutarch., *Alex.*, 54-55. De hoc pacto valde dubitat Grote. (*History of Greece*, II, XCIV. Gallica translatio, t. XVIII, p. 263.) Aiebat idem Callisthenes Alexandri divinitatem non ex fabulis pendere quae de illius natu narraret Olympias, sed ex historiis quas ipse scripturus esset. (Arrian., *Anab.*, X, 2.)

sententiam suam promeret, sed propius adstabat aulaeis discretus et cuncta audiebat. Ut sensit plures cum Callisthene consentire, ad Cleonem Agimque misit ut illi barbaros solos corpora humi prosternere sinerent (1). Hoc mandato gavisi sunt Macedones, sed valde indignatus est Alexander Persas deinceps a Graecis irrideri.

Res igitur male cessit Alexandro. Nondum enim parati erant Macedonum ceterorumque Graecorum animi regis libidinibus indulgere. Colligi etiam ex Callisthenis oratione licet cur tam strenue Macedones regis voluntati restiterint. Imperabat quidem Alexander Macedonibus patrio jure, ceterisque Graeciae civitatibus armorum vi, non tamen tantum a se distare regem Graeci credebant ut alia eum natura esse putarent ac ipsi erant. Inauditum apud illos erat quemquam, privatum aut regem, adhuc vivum unquam, alicujus concilii aut populi decreto, deum factum fuisse. Quaenam regi divinitatem dare poterat, quae imperio conferendo erat insufficiens auctoritas (2)?

Nec possum non animadvertere, cum orationem oculis collustro quam Q. Curtius in ore Callisthenis ponit, hunc rerum Alexandri scriptorem temporum Claudii imperatoris Romani temporibus aequalem exstitisse (3). Ex his enim quae philosophus Cleoni objicit apparet quomodo et Cleonis desiderio et Callisthenis repugnantiae fieri satis facile posset, ea scilicet agendi ratione qua usi sunt

(1) Arrian., *Anab.*, IV, 12. Q. Curt., VIII, 5, 21.

(2) Confer ea quae refert Aelianus, *Hist. Var.*, II, 19 : Οὐ γὰρ ἅπερ οὖν ἐκ τῆς φύσεως οὐκ εἶχε, ταῦτα ἐκ τῶν ἀνθρώπων αἰτῶν ἐκεῖνος ἐκέρδαινεν.

(3) Cf. Dosson, *Etude sur Q. Curce, sa vie et son œuvre*, p. 18 et seq.

Augustus et post eum imperatores Romani. Nam apud Romanos decreto principes fiebant non convivii sed Senatus, cujus erat et imperium vivo dare et caelum mortuo. Recusaverunt semper Augustus Tiberiusque post eum sibi a civibus suis divinos honores tribui. Provincialibus solis concessum est Augusto et Tiberio templa exstruere. Qua prudentia factum est ut alacriores in principis venerationem cohibere necesse Caesaribus fuerit, non cogere invitos. In provinciis enim annua sacrificia conciliaque magis magisque omnium animos Romanis principibus conciliaverunt (1).

Quae optime postea Augustus, tunc nullo modo intellexit Alexander. Aegro animo tulit adversantes Macedonas et praecipue Callisthenem qui ad Bactra tam strenue contra regem dixerat. Crescebat in dies regis erga philosophum odium, et prima data occasione usus est ut contemptum suum numen ulcisceretur. Callisthenem in reos deferendi copiam Alexandro dedit puerorum regiorum in ipsum conjuratio. Nam inter eos qui de regis morte conspiraverant principem locum tenebat Hermolaus, qui Callisthenis auctoritatem in omni vita sua sequebatur (2). Irae suae indulsit Alexander cum ex ore Hermolai convicia audivit optime Callisthenis vocibus respondentia : « Regem Macedonibus imperavisse ut genua flecterent, venerarenturque ipsum ut deum; Alexandrum Philippum patrem aversari, et eum esse qui Jovem etiam fastidiret, si quis deorum ante Jovem

(1) Cf. Droysen, *Histoire de l'hellénisme*, Gallic. transl., I, p. 668.
(2) Arrian, *Anab.*, IV, 13. Q. Curt., VIII, 6, 7.

haberetur (1). » Impietatis suae in Ammonis filium durissimis suppliciis Hermolaus et paulo post Callisthenes poenam dederunt (2).

Non tamen satis Alexandro fuit a legatis militibusque suis divinitatem suam agnosci, a Graecis etiam civitatibus deus haberi voluit. Quam ob rem ad eas legatos misit ut ipsum in deorum numerum decreto referri rogarent (3). Quibus verbis scripta fuerit regia epistola ignoramus. Scimus autem plerasque civitates regis superbiam molestius sustinuisse. Contione advocata Athenis, diversissimae prodiere sententiae. Demades, qui Macedonum partes tenebat, populum rogavit ut duodecim magnis diis Alexandrum decimum tertium adjungeret (4). Demosthenes vero ejusque amici adversus propositum locuti sunt (5). Quidam etiam contra regem acerbissimum sermonem protulere. Exempla sint illud Lycurgi : « Qualem deum cujus e templo exeuntes mundari oporteat (6)! » et illud Pytheae, qui cum decreto adversaretur, et sibi propriam adulescentiam exprobari audiret : « Nonne, inquit, me natu minor est quem deum facitis (7)? »

Ut reluctantium sibi animos conciliaret, promisit

(1) Q. Curt., VIII, 7, 13. Cf. Arrian, *Anab.*, IV, 14, 4.

(2) Plutarch., *Alex.*, 55. Arrian, *Anab.*, IV, 15. Q. Curt., VIII. 8, 21.

(3) Aelian., *Hist. Var.*, II, 19.

(4) Aelian., *Hist. Var.*, V, 12. Cf. Clemens. Alex., *Cohort. ad Gent.*, p. 27 *c.* Cyrill. Alex., *contra Julian.*, VI, p. 205 B.

(5) Timaeus apud Polyb., XII, 12c. Cf. Schaefer, *Demosthenes und seine Zeit*, secunda edit., III, p. 310 et seq.

(6) *Vita duod. orat.* — *Lycurg.*, 22.

(7) Plut., *Apophl. Reg. et Imp.*, *Pytheas;* ed. Did., *Moral.*, I, p. 225.

Alexander omnium ante actarum rerum veniam et oblivionem, simulque exulum in patriam reditum. Rursus igitur de re in contione tractatum est, et Demosthenes populo suasit ut Alexandro petita concederet, si per decretum exules in patriam restituere liceret. In Demosthenis sententiam plerique discessere latumque est optatum a rege decretum. Nulla hujus decreti verba novimus, nisi quae affert Hyperides valde mutila, quae tamen ea esse videntur :

Συγχωρεῖν Ἀλεξάνδρῳ κ(αὶ) τοῦ Διὸς καὶ τοῦ Ποσειδῶνος εἶ[ναι εἰ βούλ]οιτο καὶ ἀφι[κομένου]... (1).

Increduli sane populi esse illam legis formulam quis neget? Numquid enim de vero unquam deo dictum est : « Jovis filius sit, si velit (2)? »

His similia decreverunt Lacaedemonii iisdem fere verbis : Συγχωροῦμεν Ἀλεξάνδρῳ, ἐὰν θέλῃ, θεὸς καλεῖσθαι (3). Legimus etiam legatos, qui postea ad regem ex urbibus Graeciae missi sunt, eum quasi deum coronavisse aureis coronis (4), Atheniensesque ad Ammonem, quasi ad Alexandri patrem theoriam misisse, et sacris navibus duabus addidisse tertiam, quae vocata est Ammonias (5).

(1) Ita Blass., in Demosth. or., XXV. Cf. *Hermes*, X, p. 33. Sauppe ita legebat : καὶ ἃ φί[λον εἰὴ αὐτῷ ἀπενέγκασθαι].

(2) Alii narrant Athenienses proclamavisse Alexandrum alterum Dionysum. Diog. Laert., VI, 2, 63. Tum Diogenes : « Et me, inquit, Serapin facite. »

(3) Plut., *Apopht. Lac., Damis*, edit. Didot. *Moral.*, I, p. 269. Cf. Aelian., *Hist. Var.*, II, 19.

(4) Arrian., *Anab.*, VII, 23, 2.

(5) Testes sunt facti Aristoteles, Dinarchos et Philochoros. Müller,

Postquam ipse deus vocatus fuit, matrem divinorum honorum participem fieri voluit Alexander. Hanc mentem jamdiu in animo agitatam, tum amicis aperuit, cum in Indis erat : « Mihi maximus, inquit, laborum atque operum meorum erit fructus, si Olympias mater immortalitati consecretur quandoque excesserit vita. Si licuerit, ipse praestabo hoc ; si me praeceperit fatum vos mandasse mementote (1). » Filium praecepit fatum, et illius votum obliti sunt amici. Nullum enim audimus templum Olympiadi aedificatum nec sacerdotem ullam fuisse institutam.

Ut matrem ita et amicum Hephaestionem rite coli voluit Alexander. Quem postquam matura mors rapuerat, misit rex ad Ammonem ut quaereretur num Hephaestioni ut deo sacrificare liceret. Alii dicunt renuisse oraculum, alii contra annuisse. Quidquid id fuit, legati nuntiaverunt regi fas per Ammonem esse Hephaestioni sacrificare ut heroi (2).

Responsum libentissime accepit Alexander, splendidissimamque funeris pompam paravit, Maximus exstructus est rogus, quem describit Diodorus Siculus, ad imaginem rogi olim Dionyso consecrati (3). Primus Alexander libavit; et sacrificii ritum fuisse non funeris facile dixeris. Hephaestioni postea exstructum ἡρῷον a Cleo-

Frag. Hist. Graec., II, p. 121, n. 49. Cf. ea quae de Ephesiis narrat Strabo, XIV, 24.

(1) Q. Curt., IX, 6, 26; X, 5, 30.

(2) Arrian., *Anab.*, VII, 14, 7; 23, 6. Diod. Sicul., XVII, 115. Plutarch., *Alexand.*, 72.

(3) Diod. Sicul., XVII, 115 et seq. Cf. Cyrill. Alex., *contra Julian.*, VI, p. 205 *B*.

mene quodam, Alexandriae in Aegypto, alterumque in insula Pharo et tertium ad Memphim. Quam pietatem ita gratam acceptamque Alexander ut Cleomeni, nequissimo viro, et Aegyptiis infestissimo, praeteritarum culparum, et, quod periculosius erat, futurarum promiserit impunitatem (1).

Quos vero suapte sponte Hephaestioni mortuo honores quasi divinos tribuit rex, non sine ira tulit vivum Clitum usurpare. Qui quidem, postquam, prope Amorgum, quasdam triremes ceperat, vocari se jussit Neptunum et tridente persaepe usus est (2). Nimiam sane impudentiam et Alexandro infensissimam, qui ipse Neptuni filius appellabatur, ut in Graecarum urbium decretis supra allatis visum est. Nec longe abest quin crediderim utriusque de divinitate contentionem a Cliti caede non fuisse alienam.

Quae rettulimus scriptorum veterum testimonia plerisque doctis viris, qui Alexandri vitam narraverunt, satis esse visa sunt ut crederetur Alexander divinitatem affectavisse. Aliter vero sentit Hogarth, putatque injuria scriptores Alexandro hujusmodi mentem commodavisse (3). Censet enim quae de Alexandri itinere ad Ammonem narrata sint fabulis ea commixta fuisse. Perperam, ejus judicio, ex Justini auctoritate creditur Alexander Ammonis oraculum adiisse ut de sua origine consuleret, asseritque Arrianum de hac interroga-

(1) Arrian., *Anab.*, VII, 23, 7-8.

(2) *De Fort. Alex.*, II, 5. Cf. Eckel, *Doct. num.*, VI, p. 30.

(3) D. G. Hogarth, *The Deification of Alexander the Great. English Historical Review*, 1887, p. 317 et seq.

tione tacere. Quam quidem fabulam postea historiae adjunctam putat, cum, post Alexandri mortem, de regis divinitate fama percrebuit (1).

Censet idem doctissimus vir Macedones male Alexandri mentem interpretatos esse, cum ad Bactra eos rogavit ut Persarum more regem adorarent, et adorationem, quae merum venerationis erga regem testimonium esset, cultus erga deum testimonium esse falso credidisse (2). Modestiae etiam Alexandri exemplum affert regis orationem ad rebelles, qua se, non Ammonis, sed Philippi filium profitetur (3). Credit idem decreta, quae tulerunt Graecae civitates, non ab Alexandro sed ab ipsis Graecis fuisse rogata, et proinde nullum ex his argumentum sumi posse affectatae ab illo divinitatis (4).

Discutiamus igitur necesse est quae de quattuor his factis asserit Hogarth.

Loquamur primum de Ammonis ab Alexandro interrogatione.

Censet doctissimus vir Macedonum regem, superstitione quadam impulsum Ammonis oraculum adivisse, non vero, ut ait Justinus, de origine sua consulturum. Obliviscitur vero Arrianum eamdem mentem Alexandro tribuere cum ait : καί τι καὶ αὐτὸς τῆς γενέσεως τῆς ἑαυτοῦ ἐς Ἄμμωνα ἀνέφερε, καθάπερ οἱ μῦθοι τὴν Ἡρακλέους τε καὶ Περσέως ἐς Δία. Καὶ οὖν παρ' Ἄμμωνα ταύτῃ τῇ γνώμῃ ἐστέλλετο

(1) D. G. Hogarth, *The Deification of Alexander the Great. English Historical Review*, 1887, p. 318.
(2) *Ibid.*, p. 319.
(3) *Ibid.*, p. 322.
(4) *Ibid.*, p. 323.

ὡς καὶ τὰ αὐτοῦ ἀτρεκέστερον εἰσόμενος ἢ φήσων γε ἐγνωκέναι (1).

Addit idem Arrianus regem ea audivisse quae cuperet (2), quibus verbis intellegendum nihil aliud esse puto quam ea de quibus supra locutus est, scilicet quae ad regis originem spectarent.

Addam etiam Plutarchum antiquiores sequi et in primis Callisthenem, cum de oraculo Ammonis loquitur in vita Alexandri. Callisthenes enim aperte narrat Ammonem de divina Alexandri origine locutum esse (3). Testis est idem Callisthenes Apollinis oraculum, Branchidarum dictum, et Erythraeum oraculum ejusdem modi responsa dedisse (4). Antiquiores ergo rerum Alexandrinarum scriptores eadem narrant quae postea Diodorus Justinusque.

Non majoris facienda sunt quae contendit Hogarth de convivio quod ad Bactra apparatum est. Animadvertit doctissimus vir Justinum et Plutarchum de hoc paucissima, Diodorum nihil narrare, Arrianum vero et Q. Curtium inter se de plurimis differre. Equidem Arrianum Curtiumque de quibusdam facti circumstantiis differre fateor, ambo tamen scriptores in uno concordant : ab Alexandri quodam adulatore, quem Anaxarchum fuisse asserit Arrianus, Cleonem vero Siculum Curtius, propositum accumbentibus fuisse ut ante regem,

(1) Arrian., *Anab.*, III, 3, 2.

(2) Arrian., *Anab.*, III, 4, 6 : καὶ ἄκουσας ὅσα αὐτῷ πρὸς θυμοῦ ἦν.

(3) Plutarch., *Alex.*, 27. C. Müller, *Scriptores Rerum Alexand.*, p. 26. *Callisthenes*, 36 : ῥητῶς εἰπεῖν τὸν ἄνθρωπον πρὸς τὸν βασιλέα ὅτι εἴη Διὸς υἱός.

(4) Strabo, XVII, 45. Cf. *Script. rer. Alex. Ibid.* : περὶ τῆς ἐκ Διὸς γενέσεως.

Persarum instar, corpora prosternerent. Ambo etiam contradixisse Alexandro Callisthenem affirmant.

Licet, quae apud veteres scriptores referuntur, orationes non ipsa verba contineant quae ab iis pronuntiata sunt quibus attribuuntur, fatendum tamen est per eas mentem oratorum exprimi. In Curtii Arrianique locis, de quibus nunc agitur, Callisthenes Graecorum opinionem sine dubio palam producit. Nec credo dici posse cum doctissimo viro Hogarth eos non intellexisse quid voluerit Alexander. Nam regis mens per se patet. Unde enim mos Persis fuit reges adorandi, nisi ex eo quod regibus, ut supra dixi, aliquid divinum inesse credebant? Cum ergo se a Macedonibus adorari vellet Alexander, eo ipso petebat ut illi naturam supra humanam regi suo tribuerent. Macedones autem etsi regem a Persis deum putari non renuebant, tamen eum agnoscere nolebant, nisi ut merum hominem.

Haec inter Alexandrum militesque ejus dissentio saepius apparet, praesertim in ea, quae prope Opim exorta est, rebellione. Inter alia quae contra regem convicia agebant, jubebant milites eum solum cum patre Ammone inire bella (1). Alexander ut eos in viam rectam reducat de patre Philippo loquitur. Inde concludit Hogarth nunquam illum Ammonis se esse filium contendisse. Quis vero non videt ex Alexandri verbis talia concludi non posse? Numquid aliter loqui rex poterat ut Macedonum iram placaret? Nemini certe in mentem venit ipsum Alexandrum publica oratione, vel publico scripto,

(1) Arrian., *Anab.*, VII, 8, 3.

se Ammonis filium proclamavisse (1). Illi satis erat ut hanc de se famam vulgari sineret, praesertim apud Aegyptios Persasque et Indos (2).

Veniamus nunc ad decreta quae Graecae urbes de Alexandri divinitate tulerunt. Fatendum quidem est neque Arrianum neque ceteros rerum Alexandri scriptores de his decretis loqui. Minus tamen mirandum nobis videbitur illud silentium si animadverterimus eos totos in eo esse ut regis praeclare gesta narrent, minime vero curare de iis quae in Graecia evenerunt. Certiores autem sumus, per testes fide dignos, rogationes de Alexandri divinitate et Athenis et Spartae factas fuisse. Difficillimum enim mihi videtur curam nullam habere de his quae Aelianus, Plutarchus, Dinarchus et Athenaeus narrant.

Perperam, meo quidem judicio, ex verbis Valerii Maximi concludit Hogarth oratoribus decretum de divinitate Alexandri rogantibus populum Atheniensem restitisse. Ait enim Valerius : « Nolentibus Atheniensibus divinos honores Alexandro decernere, Demadem dixisse : « Videte ne, dum caelum custoditis, terram amittatis (3). » Quid inde ? Contradixisse rogantibus quosdam ? Non ignoramus ; contradicentes vero nunquam Alexandri voluntati cessisse ex his verbis non patet. Immo ex Hyperidis loco quem attulimus scimus decretum reipsa latum fuisse.

(1) Cf. Grote, *History of Greece*, II, XCIII, in Gallica translat., XVIII, p. 177. Attamen testis est Philostratus (*Vita Apollonii*, II, 43) aras ab Alexandro prope Gangem erectas sic inscriptas fuisse : Πατρὶ Ἄμμωνι, καὶ Ἡρακλεῖ ἀδελφῷ .... καὶ ἀδελφῷ Ἀπολλωνί.

(2) Q. Curt., VIII, 8, 17. Utinam Indi quoque deum esse credant !

(3) Val. Max., VII, 13.

Animadvertendum etiam verba quae Damidi Lacedaemonio tribuit Plutarchus eadem esse atque ea quae profert Hyperides : Συγχωροῦμεν Ἀλεξάνδρῳ ἐὰν θέλῃ θεὸς καλεῖσθαι. Refert idem Athenaeus Demadem poenas dedisse quod deum Alexandrum vocari auctor fuerat (ὅτι θεὸν εἰσηγήσατο Ἀλέξανδρον) (1). Quae quidem poena de eo sumpta certe non fuisset nisi decretum latum esset.

At enim, inquit Hogarth, si tales honores Alexandro dati sunt, Graecos solos accusemus regis adulatores, non vero regem ipsum. In hoc etiam doctissimo viro assentiri non possum. Etenim minime credendum est sponte sua Demadem aliosque, Demosthenem maxime, hujusmodi legem populum suasisse. Alexander ipse auctor propositi fuit. Hoc facile intelligitur ex ipsis decreti verbis : συγχωροῦμεν Ἀλεξάνδρῳ, et ex his quae addit Plutarchus : πρὸς τὰ ἐπισταλέντα παρὰ τοῦ Ἀλεξάνδρου θεὸν εἶναι ψηφίσασθαι.

His dictis, annuere doctissimo viro Hogarth non diffiteor Alexandrum nunquam caput suum nummis insculpsisse, sed ex eo quod honorem diis adhuc reservatum usurpare non ausus sit, concludendum non censeo eum post mortem tantum divinos accepisse honores. Tot enim tamque varii testes asserunt Alexandrum divinitatem vivum affectavisse ut illorum dictis assentire liceat.

Immo facile intelligitur qua mente se deum agnosci voluerit Alexander. Vastum enim constituere imperium

(1) Athenaeus, *Deipnosoph.*, VI, 58, p. 251 *b*. Cf. Aelian., *Var. Hist.*, V, 12.

intendebat in quo Graeciam Asiamque et Aegyptum sub iisdem legibus regeret. Porro Aegyptii et Asiatici jamdudum regibus suis, deorum scilicet filiis, aliquid divinum inesse putabant. Aegyptii enim, ut supra memoravi, Pharaones, Ra, id est Sole natos putabant, illisque, quasi religionis quodam vinculo alligati, parebant (1). Idem de Persis dicendum esse testis est Aeschylus cum senum chorum his verbis reginam Atossam alloquentem fingit :

Θεοῦ μὲν εὐνάτειρα Περσῶν, θεοῦ δὲ καὶ μήτηρ ἔφυς (2).

Prudentis sane viri erat et in arte imperandi exercitatissimi se illis parem praestare quorum in locum succedebat. Aliter enim regem mere hominem parvi fecissent qui deorum imperio antea subjecti fuerant. Cum vero pari potestate ac Asiaticos, Macedones ceterosque Graecos regere vellet, nihil mirandum si Alexander sedulo operam dederit ut ab iis quoque adoraretur collocareturque inter deos.

(1) Cf. Diod. Sicul., I, 90.

(2) Aeschyl., *Persae*, 157. Cf. Q. Curt., V, 12, 16. Fr. Spiegel, *Eranische Alterthumskunde*, III, p. 600. Cum rex Persarum per Mithram jurabat, per se ipsum jurabat, ipse enim alter Mithra putabatur. Xenoph., *Cyrop.*, VII, 5, 53. Aelian., *Hist. Var.*, I, 33.

CAPUT II.

DE DIVINIS HONORIBUS QUOS ALEXANDER ACCEPIT POST MORTEM.

Alexandrum, etsi Jovis filium, mors matura rapuit, eo ipso tempore, quo, omnibus Asiae populis usque ad Indos perdomitis, sperare poterat se ea brevi consecuturum esse quae optaverat.

Primo mortis ejus nuntio quaedam Graeciae urbes Macedonum jugum excutere conatae sunt, simulque decreta abolere quibus Alexandrum deum nominaverant. Athenienses Demadem, legis auctorem, impietatis (ἀσεβείας) reum decem talentorum damnaverunt, quod Alexandrum mortalem olympiis adscripserat, et de Timagora supplicium sumpserunt quod, suscepta legatione, regem adoraverat (1).

Quae quidem contra praeteritam adulationem valde inutilis vindicta fuit. Ab hoc enim tempore in dies crevit apud Graecos Alexandri fama. Nonnullae urbes mor-

(1) Athenaeus, *Deipnosoph.*, VI, 58, p. 251 *b*. Aelianus, *Hist. Var.*, V, 12 (centum talenta).

tui regis nomen quasi in propriam gloriam traxerunt (1). Ubique etiam in sacratissimis templis Alexandri statuae positae sunt (2). Nec talia multis satis visa sunt. Chalcidenses Alexandro lucum consecraverunt et ludos instituerunt, quibus praefuit commune Ionum, quosque Alexandreos vocavere (3). Clazomenis institutum est festum in Alexandri honorem quod appellatum est : θυσία τῶν Ἀλεξανδρείων (4), vel ἡμέρα γενεθλία Ἀλεξάνδρου (5). Ad hoc celebrandum mittebantur e variis urbibus legati; et cunctis adstantibus dabatur quidquid ad rite colendum deum necesse erat (6). Hoc festo gratos se ostendebant Iones in eum qui ipsorum societatem, olim a Cyro dissolutam, in integrum restituerat (7).

Eodem modo Berea (8), Odessus (9), Philippopolis (10) et aliae multae urbes inter suos deos Alexandrum deinceps habuerunt.

Macedonum duces qui mortui regis regnum sibi in partes diviserant, eum, ut par erat, pie coluerunt, excepto Antipatro cui impium semper visum est Alexandrum

(1) Praeter urbes, quae ab Alexandro fundatae, vocatae sunt Alexandriae, commemorare liceat : Magnesiam Sipyli (*C. I. G.*, 3137), et Smyrnam (Plinius, *Hist. Nat.*, V, 31, 7).

(2) Olympi (Pausan., V, 20, 10; 24, 11 ; VI, 11, 1).

(3) Strabon, XIV, 1, 31.

(4) *B. C. H.*, 1885, p. 389, l. 24.

(5) *Ibid.*, l. 4.

(6) *Ibid.*, l. 24 : [ὅταν δ'ἐπανέλθ]ωσιν αἱ πρεσβεῖαι τὴμ πόλιν [ἐν ἧι συντελοῦμεν τὴν θυ]σίαν τῶν Ἀλεξανδρείων.

(7) *Ibid.*, p. 390. Waddington, *Ins. As. Min.*, 86, l. 2-4.

(8) Eckel, *D. N.*, IV, p. 433. Mionnet, I, p. 555.

(9) Mionnet, I, p. 397.

(10) Mionnet, I, p. 418. In his urbibus sunt certamina Alexandrea.

deum appellari (1). Eumenes sibi in somno Alexandrum apparere aiebat, quasi agendi rationem ab eo acciperet (2). In primis Ptolemaeus et Seleucus regni sui quasi tutorem, et sui generis auctorem, deum Alexandrum posuerunt, ut amplius mox ostendemus.

Sacrum ergo abhinc Alexandri nomen fuit (3). Hunc Macedones in bellis invocaverunt ut eos adversus invadentes Gallos tueretur (4). Mox in vulgus fama percrebuit prodigiorum quae Alexandri signa Parii operabantur (5), narrabaturque in insula Co, natum ex alterius signi capite florem quem ἀμβροσίαν vocant, quo prodigio regis immortalitas aperte declarabatur (6).

Haec in Alexandrum pietas non periit postquam Graeci in romanam dicionem venerunt. Immo communi pietati faverunt Romani imperatores. Inter eos enim nonnulli erant in Macedonum regem observantissimi. Narrat quippe Spartianus Trajanum in animo habuisse ut, Alexandri exemplo, sine certo successore moreretur (7). Antoninus Magnus Alexandro se aequandum putabat ejusque gesta ita semper in ore habebat ut a Dione φιλαλεξανδρότατος vocari

(1) Suidas, verbo Ἀντιπάτηρ · Μόνος δὲ τῶν διαδόχων θεὸν καλέσαι Ἀλέξανδρον οὐχ εἵλετο, ἀσεβὲς τοῦτο κρίνας. Errat igitur Dosson cum ait : « Antipater et Eumène avaient été les premiers à diviniser Alexandre. » *Etud. sur Q. Curce*, p. 60, n. 5.

(2) Plutarch., *Eumenes*, 13, 3.

(3) Justin., XIV, 18.

(4) Justin., XXIV, 5, 10.

(5) Athenagoras, *Legat. pro Christ.*, 26.

(6) Carystius Pergamenus apud Athenaeum, XV, 32, p. 684 *e*. Cf. Müller, *Frag. Hist. Graec.*, IV, p. 357, n. 6.

(7) Spartian., *Vita Hadriani*, 4.

meruerit (1). Armis enim poculisque utebatur similibus iis quae Philippi filio usui erant. In urbe et in castris Alexandri imagines posuit, et phalangem conscripsit ex Macedonibus, quos iisdem armis ornavit quae gesserant Alexandri aequales, eamque regis nomine decoravit. Quicumque Macedo erat aut Alexandri nomen gerebat illi ita acceptus erat, ut quidam reus, de vi accusatus, ob illud nomen impunitus dimissus sit, accusator vero in eo fuerit ut poenas daret quod persaepe diceret : « Alexandrum esse sicarium, et deorum hostem. » Iratus imperator aliquid in se ipsum offensionis his verbis insitum credidit, et « peribis, inquit, nisi te servet Alexander. » Idem Antoninus Aristotelicos philosophos semper odio habuit quasi mortis Alexandri sui conscios (2).

Qui postea imperator fuit, Severus Alexander, inde cognomen accepit quod natus est apud Arce, urbem Phoenices, in Alexandri templo, ipso festo die, cum parentes illius ad orandum venerint (3). Hujus facti memor, quod fortunae suae omen fuisse putabat, nummos aureos argenteosque Macedonum regis effigie signavit (4), illiusque imaginem in larario posuit inter deos quos peculiari religione colebat (5).

Non igitur mirum viguisse apud Graecos iisdem temporibus in Alexandrum pietatem. Quae quidem in his

(1) Dio. Cass., *Epit.*, LXXVII, 9. Spartian., *Vita Caracall.*, 2.
(2) Dio. Cass., *Epit.*, LXXVII, 7 et 8.
(3) Lamprid., *Vita Alex.*, 5.
(4) *Ibid.*, 25.
(5) *Ibid.*, 30.

maxime regionibus manifesta est ubi statim post regis mortem constructa templa, creatique ludi fuerunt, id est in Asia minore. Invenimus enim apud Bargylietas, in Caria, sacerdotem, qui vocatur ἱερεὺς θεοῦ Ἀλεξάνδρου (1), diciturque φιλοκαίσαρ καὶ φιλοσέβαστος, et ἱερεὺς καὶ ἀρχιερεὺς τοῦ Σεβαστοῦ. Item apud Erythraeos est ἱερεὺς qui est μιμαντοβάτης, καὶ ἀγωνοτέθης τῶν Διονυσίων καὶ ἱερεὺς τῆς Ἰωνίας, et, antea honoribus pluribus apud suos functus, fuit ἀγορανόμος, βούλαρχος, σειτώνης τὸ β΄, et εἰρήναρχος (2).

Ex his titulis constat ex eodem municipum ordine sumptos fuisse et Augustorum et Alexandri sacerdotes, scilicet ex his qui in quaque civitate et nobilitate generis (ἐκ προγόνων) et honorum dignitate, et divitiarum copia clariores erant.

De modo quo illi sacerdotes nominati fuerint, et de temporis spatio per quod illorum munus duraverit penitus ignoramus.

Praeter publicos honores quos civitates Alexandro tribuebant, saepe etiam privati illum in sacellis et in lararіis suis venerati sunt. Quam ob rem intelligitur cur tot illius parvulae imagines ad nos pervenerint. In his effingitur saepe rex capite gerens leonis pellem pro galea, nudusque, ut heroes figurari solent. Quae quidem effigies in omnibus imperii romani partibus reperiuntur,

(1) Waddington, *Ins. As. Min.*, 496. Cf. 490.

(2) *Ibid.*, 57 K. Hisce temporibus, τὸ κοινὸν τῶν Μακεδόνων, aereos nummos Alexandri capite signavit. Mionnet, I, p. 459 et seq. Cf. Duruy, *Hist. des Grecs* (edit. illust.), III, p. 232, 260. Sunt etiam in aliis urbibus nummi quibus inest Alexandri imago. Cyme, Mionnet, *Suppl.*, VI, p. 21. Niceae, *Suppl.*, V, p. 96-107. Smyrnae, III, p. 231-250. *Suppl.*, VI, p. 343. Stratonicaeae, III, p. 378. Apolloniae in Caria, III, p. 332.

variis seculis, ut vario sculpturae genere patet, tribuendae. Tam diu populi Alexandrum inter sacratissimos deos coluerunt (1) !

Jam supra notavimus quosdam romanorum imperatorum nummos Alexandri capite fuisse signatos; addendum etiam vultum illius apparere in nomismatibus quae nunquam ad pecuniam solvendam habita sunt (2). Inter illa praecipuum locum tenent nummi aurei qui apud Tarsum in Cilicia reperti sunt (3). His in nummis apparent capita Herculis, Philippi et Alexandri, quos Macedonicam triada vocat doctissimus vir Longpérier. In duobus ex his nummis Alexander, lorica indutus, equo citato sedet, et hasta leonem percutit. In alio autem alata victoria, sinistra manu palmam vittatam tenet et dextera quattuor equos regit, qui currum trahunt in quo ipsa vehitur. Quem ad usum accommodata fuerint haec nomismata non plane compertum habemus. Censet enim Longpérier haec fortasse phaleras

(1) Longpérier, *Catalogue des bronzes du Louvre*, n°ˢ 632, 633, 634. Chabouillet, *Catalogue général des camées et des pierres gravées de la bibliothèque nationale*, n°ˢ 154-158, 2048, 2049. *C. I. G.*, 135. De Alexandri imaginibus. Cf. Dosson, *Etude sur Q. Curce*, p. 60 et seq. Vulgus Alexandrum in mente habebat ut dignissimum virum qui mortem vitaret. Legimus enim in pueri cujusdam funebri titulo :

Οὐδ' αὖ Μακέδων ὁ βασιλεὺς Ἀλέξανδρος
ὃν τίκτεν Ἄμμων θέμενος εἰς ὄφιν μόρφην.

Revue archéologique, 1883, I, p. 195.

(2) Eckel, *D. N.*, II, p. 108. Mionnet, I, p. 553, n. 572, 575. Lenormant, *Histoire de la monnaie dans l'antiquité*, I, p. 39. Cf. Duruy, *Hist. Rom.*, VI, p. 248 (edit. illust.).

(3) Longpérier, *Œuvres*, III, p. 188 et seq. Cf. Duruy, *Hist. des Rom.* (edit. illust.), VI, p. 248.

fuisse quibus decorarentur milites, non tamen omnino contradicit his qui putant haec fuisse amuleta (1). Etenim cum illis reperta sunt alia quae amuleta sine dubio fuerunt. Vero igitur propius est, meo quidem judicio, idem asserere de nomismatibus quibus inest Alexandri effigies.

Alexandri enim imaginibus nescio quam vim inesse, qua omnia prospere ea gerentibus succederent, non vulgus modo sed et honestiores (2) credebant. Nam, si Trebellio Pollioni creditur, Macriani piissime Philippi filium coluerunt, illiusque effigiem hujus gentis « viri in annulis et argento, mulieres et in reticulis et dextrocheriis et in annulis, et in omni ornamentorum genere exsculptum semper habuerunt, eo usque ut tunicae et limbi et paenulae matronales in ea familia », Pollionis tempore, fuerint « quae Alexandri effigiem deliciis variantibus » monstrarent. Addit idem historiarum scriptor se vidisse « Cornelium Macrum, cum caenam in templo Herculis daret, pateram electrinam, quae in medio vultum Alexandri haberet et in circuitum omnem historiam contineret, signis brevibus et minutulis, pontifici propinare (3). »

Alia etiam nomismata non pauca in Musaeis servantur quae ad id forata fuisse animadvertes ut collo

(1) Longpérier, *ibid.*, p. 195. Cf. Lenormant, *Hist. de la monn.*, I, p. 42.

(2) Trebellius Pollio, *Trig. Tyr.*, 14. « Dicuntur juvari in omni actu suo qui Alexandrum expressum vel auro gestitant vel argento. » Fuit Alexander, ait Lenormant (*Hist. de la monn.*, I, p. 39), quasi deus ἀλεξίκακος.

(3) Trebell. Pollio, *ibid.*

suspendi possint ad gerentis tutelam (1). Exempli gratia auream illam fibulam invisas quae Lutetiae in armorum Musaeo asservatur. Huic fibulae includitur Alexandri effigies nomismati impressa, quae militi tutamen fore credebatur (2).

Tanta vis superstitionis illius fuit ut ipsa Christiana plebs, adhuc sancti Joannis Chrysostomi temporibus, aerea Alexandri nomismata pedibus aut collo circumdare consueverit. Quem usum vehementer vituperat Constantinopolitanus episcopus in hoc sermonum loco : Τί ἄν τις εἴποι περὶ τῶν... νομίσματα χαλκᾶ Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος ταῖς κεφαλαῖς καὶ τοῖς ποσὶ περιδεσμούντων ; αὗται αἱ ἐλπίδες ἡμῶν, εἰπέ μοι, ἵνα, μετὰ σταυρὸν καὶ θάνατον Δεσποτικὸν, εἰς Ἕλληνος βασιλέως εἰκόνα τὰς ἐλπίδας τῆς σωτηρίας ἔχωμεν (3) ;

Quaedam horum, de quibus loquitur Chrysostomus, nomismatum adhuc in manibus nostris sunt. Antica parte, cernitur Alexandri caput imberbe et leonis exuviis tectum, aversa vero, asina, capite erecto, pullum lactans. In eorum uno leguntur litterae : D N IHV XPS DEI FILIVS, id est *Dominus noster Jesu(s) Christus, Dei filius*. Aliud, aversa parte, loco asinae ostendit litteram graecam P

(1) Cf. Duruy, *Hist. des Rom.*, (edit. illust.), VI, p. 248.

(2) *Catalogue du musée d'artillerie*, c. 31. Cf. Saglio, *Dictionn. des ant. grecq. et rom.*, verbo *Amuletum*. Duruy, *Hist. des Rom.*, VI, p. 248.

(3) Joann. Chrysost., *Ad Illumin. Catech.*, 2 (edit. Migne, II, p. 240). Addit idem Chrysostomus (Hom., XXVI ; tom. X, p. 580) : Οὕτως Ἀλέξανδρον τρισκαιδέκατον ἐνόμισεν εἶναι θεὸν ἡ σύγκλητος Ῥωμαίων. At nullum exstat hujusmodi decreti vestigium. Animadvertit contra Tertullianus nunquam regem Macedonum apud omnes populos divinos honores accepisse. *Apol.*, 11.

litterae X insertam. Quas quidem litteras initium esse verbi Χριστοῦ neminem fugit. In omnibus sunt scorpiones vel aliqua alia magica nota (1). Inde manifestum est cujus superstitionis fuerint haec nomismata. Soli enim Gnostici ii erant qui Christianam religionem cum magicis artibus ita miscerent.

Quam diu perseveraverit popularis illa Alexandri religio difficile dici potest; diutius tamen eam mansisse libenter credes cum animadverteris Asiaticas gentes nostra adhuc aetate Macedonum regis memoriam retinere (2).

(1) *Revue numismatique*, 1857, p. 309-314, tab. VIII. Eckel, *D. N.*, VIII, p. 173. Fr. Lenormant, *Hist. de la monn. dans l'antiquité*, I, p. 43. Haec nomismata imperante Honorio fabricata sunt et aerea sunt.

(2) In primis vulgata est apud plerosque Asiae et Africae populos fabula Pseudo-Callisthenis cui inscribitur : *Vita Alexandri*. Quae quidem, ex Egypto orta, brevi in varias linguas translata est. Hanc invenies post Arriani opera a Carolo Müller edita. De translationibus et de origine libri, vide E. A. Wallis Budge. *The History of Alexander the Great being the Syriac version of the Pseudo-Callisthenes*, Introduct., p. XXXV-CXI.

CAPUT III.

DE DIVINIS HONORIBUS QUOS MACEDONUM REGES POST ALEXANDRUM ACCEPERUNT.

Non nostrum est narrare quo modo inter Alexandri legatos partitum fuerit illius regnum, nec quibus bellis fundata demum sint tria regna, Macedoniae scilicet, Aegypti et Syriae. Haec ad illos pertinent qui horum temporum annales scribunt, ad nos tantum quaerere quos divinos honores acceperint harum regionum reges.

Graeci qui Alexandrum aegre deum vocaverant, post illius mortem non modo non inviti, immo sponte sua sacratissimos deos habuerunt reges quos libertatis vindices, injuria saepissime, putabant. Quam mutati fuerint illorum animi si apertius inspicere velis, animadvertas quae decreverint Athenienses in honorem Demetrii qui cognominatus est Poliorcetes. Postquam ille, anno ante Christum natum trecentesimo septimo, Demetrium Phalereum Dionysiumque devicit, ingressusque Athenas, acclamante populo, liberam denuo Atheniensium rem publicam fore renuntiavit, falsa libertatis specie decepta

civitas divinos honores in eum quasi cumulavit (1). Oratores quibus tunc plebs favebat, alii aliis aemulati sunt ut Demetrium adularentur. Inter quos Stratocles plus valuit apud populum. Nam videmus, eo rogante Demetrium ejusque patrem Antigonum Deos Servatores deinceps vocari (2) ; aram dicari in qua iis sacrificetur (3) ; illorum imagines Minervae pallio intexi, ludos, pompam et annua sacrificia institui, sacerdotem denique populi suffragiis nominari qui haec sacra perficiat (4). Addit etiam Plutarchus sacerdotem hunc fuisse eponymum, id est illius nomen ex eo tempore inscriptum fuisse populi decretis, contractuumque formulis, quae quidem antea archontis nomine notabantur (5).

In ceteris vera dixisse, in hoc uno errasse Plutarchum putat J. G. Droysen, nec immerito. Si enim Plutarchus vera dixisset, a secundo olympiadis centesimae decimae octavae ad secundum centesimae vigesimae tertiae olympiadis annum, nulla archontum nomina actis inscripta reperiremus. Rem vero aliter cessisse tituli docent. Nomina enim archontum invenimus :

Olympiadis 118 anno secundo, Anaxicratis (6),
» anno tertio, Coroebi (7),

(1) Plutarch., *Demetr.*, 10. Diod. Sicul., XX, 46, 2. Cf. Droysen, *Histoire de l'hellénisme*, in gall. transl., II, p. 413 et seq.
(2) Plut., *Demetr.*, 10.
(3) Diod. Sicul., XX, 46, 2.
(4) Plut., *ibid.* Diod. Sicul., *ibid.*
(5) Plutarch., *ibid.*
(6) *C. I. A.*, II, 240, 241, 242.
(7) *C. I. A.*, II, 247, 249.

119 anno primo, Phereclis (1),
anno secundo, Leostrati (2),
anno tertio, Nicoclis (3),
120 anno secundo, Euctemonis (4),
121 anno primo (?), Niciae (5),
anno secundo, Nicostrati (6).

Quo modo in hunc errorem inciderit Plutarchus explanare perite tentat A. Kirchoff. Censet enim Boeotum scriptorem eponymos novarum tribuum, illarumque sacerdotes falso archontas eponymos credidisse (7).

Duae enim novae tribus decem antea exstantibus additae sunt. Quarum altera Antigonis, altera Demetrias appellata est (8). Cumque quaeque tribus quinquaginta senatores eligeret, concilium ad sexcentorum virorum numerum crevit. Simulque statuis quae in heroum honorem, a quibus Atticae tribus nomina acceperant, Delphis dedicatae fuerant, additae sunt Demetrii et Antigoni imagines (9).

Mensis etiam ille qui antea Munychion vocabatur, dictus est Demetrio, facete quidem, nempe eo nomine

(1) *C. I. A.*, II, 256, 257.
(2) *C. I. A.*, II, 259, 261, 262, 263.
(3) *C. I. A.*, II, 269, 270.
(4) *C. I. A.*, II, 298.
(5) *C. I. A.*, II, 299.
(6) *C. I. A.*, II, 330.
(7) *Hermes*, 1867, p. 166. Cf. Droysen, *Histoire de l'hellénisme*, Gall. transl., II, p. 416, n. 1.
(8) Plut., *Demetr.*, 10. Diod. Sicul., XX, 46, 2. *C. I. A.*, II, 238, 246, 297, 311, 323, 335. *B. C. H.*, 1878, p. 90; 1879, p. 443; 1884, p. 327 et 329. Cf. Gilbert, *Handbuch der Griech. Alterth.*, I, p. 190.
(9) Pausanias, X, 10, 1.

victoriae, qua Munychium Demetrius ceperat, alludebatur (1). Item ultima cujusque mensis dies, quam Graeci appellabant ἕνην καὶ νέαν, Demetriadis nomine ornata est (2).

Nec satis; locus, ubi primum a curru descenderat, sacer factus est, araque ibi posita Demetrio descendenti (καταιβάτῃ), quod Jovis cognomen erat (3). Quin immo idem Stratocles, de quo paulo ante locuti sumus, legem rogavit ut si qui ab Atheniensibus ad Antigonum vel ad Demetrium publice mitterentur, ii non legati sed theori dicerentur (4). Hac mente duae novae sacrae naves constructae sunt, quae has theorias veherent, Demetriadem scilicet et Antigonidem, quarum Philochorus meminit (5).

Inventus etiam est quidam Stratocle impudentior qui rogavit ut Demetrius, quoties Athenas veniret, eadem pompa acciperetur qua Cererem Dionysumque accipere mos erat, dareturque publice pecunia, ad sacrum donum dedicandum, illi qui ceteros hospitii praebiti munificentia superasset (6).

Dies igitur festus qui antea in honorem Dionysi vocabatur Διονύσια, mutato nomine, Δημήτρια vocatus est (7).

(1) Plut., *Demet.*, 12. *Schol. Pind. Nem.*, III, 1. Cf. Droysen, *l. l.*, II, p. 417, n. 1.

(2) Plut., *ibid.* Cf. *Schol. Aristoph. in Nubes*, 1131; Polemonem apud Harpocrationem. Müller, *Fragm. Hist. Graec.*, III, p. 117, n. 8.

(3) Plut., *ibid.* Clemens Alexand., *Cohort. ad Gentes*, p. 16 C.

(4) Plut., *Demetr.*, 11.

(5) Müller, *Frag. Hist. Graec.*, II, p. 121, n. 49.

(6) Plut., *Demetr.*, 12.

(7) Plut., *ibid.* Eustathe, *ad Iliad.*, V, v. 449. Cf. Saglio, *Dict. des ant. grecq. et rom.*, verbo *Demetria*.

Cumque celebratus est ille dies, in proscenio pictus est Demetrius orbi terrarum insidens (1).

Etiam adulationem insolentissimam censet idem Plutarchus Dromoclidis cujusdam Sphettii propositum, qui cum populus scuta Delphis dedicare vellet, ipsum Demetrium veluti oraculum consulere rogavit quo modo melius possent dona dedicari. Propositi ipsa verba a Plutarcho servata citare liceat (2) :

Ἀγαθῇ τύχῃ.

Δεδόχθαι τῷ δήμῳ χειροτονῆσαι τὸν δῆμον ἕνα ἄνδρα ἐξ Ἀθηναίων ὅστις, ἀφικόμενος πρὸς τὸν Σωτῆρα, καλλιερησάμενος ἐπερωτήσει τὸν Σωτῆρα πῶς εὐσεβέστατα καὶ κάλλιστα καὶ τὴν ταχίστην ὁ δῆμος τὴν ἀποκατάστασιν ποιήσαιτο τῶν ἀναθημάτων · ὅ τι δ'ἄν χρήσῃ, ταῦτα πράττειν τὸν δῆμον.

Qui per tantos honores maximis diis par erat, mox sacratissima templa invasit Demetrius. Postquam enim Cassandrum fugavit, anno ante Christum natum trecentesimo quarto, in postico Parthenonis deversatus est. Digna nempe sola Dea habita est quae talem virum hospitio exciperet (3). Non vero ea modestia usus est Poliorcetes quae apud Deam virginem requirebatur. Non modo majorem natu sororem, ut eam dictitabat, non veritus est, sed et locum sanctissimum infandis voluptatibus polluit. Secum enim duxit in ipsum Palladis sacrarium Lamiam

(1) Duris apud Athenaeum. *Deipnosoph.*, XII, 50, p. 536 a. Müller, *Fr. Hist. Graec.*, II, p. 477, n. 31.

(2) Plut., *Demetr.*, 13.

(3) Plut., *Demetr.*, 23. Ait Clemens Alexandr., *Cohort. ad Gentes*, p. 16 C : καὶ γάμος ὑπὸ Ἀθηναίων αὐτῷ ὁ τῆς Ἀθηνᾶς ηὐτρεπίζετο. Ὅδε τὴν μὲν θεὸν ὑπερηφάνει τὸ ἄγαλμα γῆμαι μὴ δυνάμενος.

meretricem, ut de majoribus sceleribus taceam (1). Non tamen mirandum est leges divinas humanasque ab illo fuisse contemptas, cum, Stratoclis rogatu, decrevissent Athenienses : « Quidquid rex Demetrius jussisset, id fas apud deos, justumque apud homines haberi (2). »

Hac data sibi potestate usus est Demetrius. Postquam enim tota Graecia, in Peloponeso concilio habito, eum omnium Graecorum imperatorem acclamaverat, nuntiavit sibi jucundissimum fore Eleusiniis mysteriis initiari, et quam celerrime ad supremum, id est ad mystarum, gradum promoveri. Rem a sacris legibus prorsus alienam petebat Poliorcetes. Mos enim erat illos qui minoribus mysteriis mense Anthesterionis anni praecedentis initiati erant, sequenti anno, mense Boedromione, majoribus admitti. Haec frustra Athenienses monuit Pythodorus qui δαδοῦχος erat. Non enim deerat Demetrio Stratocles qui rogavit populum ut hoc anno Munychioni Anthesterionis nomen imponeretur, et, eo mense, Demetrius, sacris ad Agram factis, est initiatus. Idem deinde mensis Munychion, mutato iterum nomine, Boedromion factus est, reliqua sacra peracta sunt et ad ἐποπτείαν admissus est Macedonum rex (3).

Redeuntem Athenas Demetrium ad haec peragenda populus quam splendidissime accepit. Ante eum odora-

(1) Plut., *Demetr.*, 24. Clemens Alexandr., *Cohort. ad Gentes*, p. 16 C.

(2) Plut., *Demetr.* 24. De decreti tenore valde dubitat. Grote, *History of Greece*, II, XCVI. in gallic. transl., XIX, p. 132.

(3) Plut., *Demetr.*, 26. Diod. Sicul., XX, 110, 1. Haec omnia meros poetae cujusdam comici jocos putat Grote. *History of Greece*, II, XCIV. in gallica transl., XIX, p. 133.

menta adusta sunt, et vulgus coronis insignitum libationes effudit. Ducti sunt etiam chori et carmina cantata, quae dicuntur ἰθύφαλλοι : « Eum esse unum verum Deum, cum ceteri dormirent, aut parum Athenienses curarent, aut omnino non essent; Eum Neptuno et Venere natum, cunctis pulchritudine praestare, et omnia simul donare quae singula singuli largiuntur. » Haec canentes eum supplicum ritu precabantur (1). Liceat quaedam ex hoc carmine hic referre quo melius appareat quo adulationis Athenienses descenderint (2).

Ὡς οἱ μέγιστοι τῶν θεῶν καὶ φίλτατοι
τῇ πόλει πάρεισιν.
Ἐνταῦθα γὰρ Δήμητρα καὶ Δημήτριον
ἅμα παρῆν' ὁ καιρός
Χἠ μὲν τὰ σεμνὰ τῆς Κόρης μυστήρια
ἐρχεθ' ἵνα ποιήσῃ
Ὁδ' ἵλαρός, ὥσπερ τὸν θεὸν δεῖ, καὶ καλὸς
καὶ γελῶν πάρεστι.

. . . . . .

Ὦ τοῦ κρατίστου παῖ Ποσειδῶνος θεοῦ
χαῖρε, κ' Ἀφροδίτης·
Ἄλλοι μὲν ἢ μακρὰν γὰρ ἀπέχουσιν θεοὶ,
ἢ οὐκ ἔχουσιν ὦτα,
ἢ οὐκ εἰσὶν, ἢ οὐ προσέχουσιν ἡμῖν οὐδ' ἕν
σὲ δὲ παρόνθ' ὁρῶμεν
οὐ ξύλινον, οὐδὲ λίθινον, ἀλλ' ἀληθινόν.
Εὐχόμεσθα δή σοι·
Πρῶτον μὲν εἰρήνην ποίησον, φίλτατε,
κύριος γὰρ εἶ συ.

(1) Democharès apud Athenaeum, *Deipnos.*, VI, 62, p. 253 *b*. Müller, *Fragm. Hist. Graec.*, II, p. 449, n. 4.

(2) Athenaeus, *l. l.* Müller, *Fragm. Hist. Graec.*, II, p. 476, n. 30.

Illud carmen, si Philochoro creditur, qui illud in historiis suis servavit, cujusdam Hermippi Cyzici opus erat, qui, cum certamen de optimo carmine in honorem Demetrii componendo institutum fuerat, principem locum obtinuerat (1).

Multi tamen timuerunt ne dii moleste ferrent aequalem sibi fieri hominem. Pessimum regi omen visum est pallium, cui prope Jovem Minervamque Demetrius et Antigonus intexti fuerant, dum per Ceramicum deferebatur, vento correptum mediumque ruptum fuisse; circa regis aram cicutam abundantius crevisse quae rara in hoc loco nascitur, denique, cum Demetria Dionysiorum loco celebrarentur, ingens gelu, praeter anni tempus obortum, coegisse Athenienses ut pompam in aliam diem transferrent, densamque pruinam non vites modo et ficus, sed et fere totam segetem adussisse.

Paucissimi vero palam commune opprobrium indignati sunt. Inter quos fuerunt Democharès qui, propter acerbiora de rege verba, patria exire jussus est (2), et Philippides, comicarum fabularum scriptor. Hic indesinenter Stratoclem versibus lacessebat. Modo eum accusabat impietatis, et quasi malorum omnium reum insectabatur,

Δί' ὃν ἀπέκαυσεν ἡ πάχνη τὰς ἀμπέλους
δί' ὃν ἀσεβοῦνθ' ὁ πέπλος ἐρράγη μέσος,
τὰς τῶν θεῶν τίμας ποιοῦντ' ἀνθρωπίνας.

Modo irridebat eum qui tempestates mutabat

.. τὸν ἐνιαυτὸν συντεμὼν εἰς μῆνια.

(1) Cf. Droysen, *Histoire de l'hellénisme*, in gall. transl., II, p. 484.
(2) Plut., *Demetr.*, 24.

Ipsum denique Demetrium ausus est impugnare qui, sacrarium Minervae polluebat,

.. τὴν ἀκρόπολιν πανδοκεῖον ὑπολαβὼν
καὶ τὰς ἑταίρας εἰσαγαγων τῇ Παρθένῳ (1).

Singularem sane audaciam ! Nam non publice tantum Demetrio adulabat Atheniensium civitas sed privati ipsi per domos eum colebant (2). Ad id corruptionis degeneraverant ii qui nuper capitis civem damnaverant, ob rogationem qua Alexandro divinitatem usurpanti studiosiorem se praebuerat !

Nunc libenter patiebantur Athenienses Demetrium in postico Parthenonis voluptatibus indulgere. Illius assentatoribus Buricho et Adimanto et Oxythemidi aras et heroa dicabant, libamina offerebant, Paeanas canebant, uxorem Philam Venerem appellabant. Immo meretrecibus Leaenae et Lamiae eosdem tribuerunt honores (3), et secuti sunt Atheniensium exemplum Thebani (4).

(1) Plut., *Demetr.*, 14 et 29.

(2) Democharès apud Athenaeum, VI, 61, p. 252 *f*, 253 *b*. Meineke, *Poet. Comic. fragm.*, p. 673, n. 1. Müller, *Fragm. Hist. Graec.*, II, p. 449, n. 4.

(3) Democharès apud Athenaeum, VI, 61, p. 252 *f*. Müller, *Fragm. Hist. Graec.*, II, p. 449, n. 3.

(4) Polemo apud Athenaeum, VI, p. 253 B. Müller, *Fragm. Hist. Graec.*, III, p. 120, n. 15. Narrat Trypho apud Athenaeum (VI, 66, p. 255 *c*). Demetrii adulatores matri ejus templum et signa exstruxisse Thriis. Phile etiam, Venus dicta, in libaminibus invocabatur cum Demetrio, ut legitur in comoedia Alexis cui inscribitur φαρμακοπώλης, apud Athenaeum (VI, 64, p. 254 a. Cf. Meineke, *l. l.*, p. 542, n. 3).

Παῖ τὴν μεγάλην δὸς... ὑποχέας
φιλίας γε κυάθους τῶν παρόντων τέτταρας

Quid mirum si ipse Demetrius tam viles animos despexerit, dixeritque aperte : « neminem hac aetate Athenis reperiri forti et magno animo praeditum » !

Qui victorem adoraverant, devictum contempserunt. Nomen Demetrii, post acceptam cladem, in titulis erasum est. Abolitae sunt duae novae tribus, eversae arae nec rursus electi sacerdotes.

Qui Demetrio successit Lysimachus non tantos accepit honores quantos Demetrius, nec ullus invenitur illius sacerdos nisi quem reperiit L. Duchesne in Pallena (1).

Post hunc nihil fere novimus de Divinis honoribus qui Macedonum regibus dati fuerunt. Titulo tamen quodam scimus Cnidi Antigoni cognonime Gonatae constructa fuisse τέμενος et σηκός, eumque et ejus uxorem deo Pani sociatos. Quorum in honorem instituta sunt etiam certamina musica et gymnica (2). Narrat etiam Plutarchus in honorem Antigoni Dosonis celebrata fuisse sacrificia et pompas et spectacula, exemplum praebentibus Sicyoniis, qui Antigonum, Arati hospitem, urbe sua receperant (3).

τοῦς τρεῖς δ'ἔρωτος ὕστερον προσαποδόσεις ·
Ἀντιγόνου, τοῦ βασιλέως, νίκης καλῆς,
καὶ τοῦ νεανίσκου κύαθον Δημητρίου.
..... Φέρε τὸν τρίτον φίλας Ἀφροδίτης. κ. τ. λ.

(1) *Revue archéol.*, 1876, I, p. 106 : ἐφ' ἱερέως τοῦ Λυσιμάχου.

(2) Usener, *Rhein mus.*, 1874, p. 25 et seq. Cf. Kaibel. *Epigr. Graeca*, 781.

(3) Plutarch., *Aratus*, 45. De festis qui in insula Delo vocantur *Antigoneia* taceo. Difficile enim dici potest utrum ab Antigono, an in honorem Antigoni, fuerint instituta. Cf. Homolle, *Les archives de l'intendance sacrée à Délos*, p. 61, et *B. C. H.*, 1882, p. 143; 1886, p. 104 et 110, etc.

CAPUT IV.

DE DIVINIS HONORIBUS QUOS PTOLEMAEI ACCEPERUNT.

I. — *De divinis honoribus quos Aegyptii Ptolemaeis tribuerunt.*

Jam notavimus, cum de Alexandro locuti sumus, Aegyptios credidisse regibus suis aliquid inesse divini (1). Inde apud eos reperimus regem et antecessoribus suis sacrificantem (2), et sibi ipsi preces offerentem, quasi duae in ipso partes sint, quarum altera humana divinam alteram vereatur (3).

Ut olim Pharaones, ita et Ptolemaei, postquam Aegypto potiti sunt, facti sunt « *filii Ra* », id est solis, « *imagines divini Haedi, vivae et divinae Haedi effigies.* » « *Thronum*

(1) Vide supra, p. 8 et 26.

(2) Cf. Tabulam Abydi repertam. F. Lenormant, *Histoire ancienne des peuples de l'Orient*, edit. nona, II, p. 38, et t. III, p. 24. G. Perrot, *Histoire de l'art dans l'antiquité*, I, p. 25. Maspero, *Histoire ancienne*, p. 58. Lepsius, *Uber einige Ergebnisse der Aegyptischen Denkmäler für die Kenntniss der Ptolemäergeschichte*, p. 6. Vide etiam *cameram* quae dicitur *Avorum*, in Bibliotheca nostra nationali.

(3) Cf. Anaglyphum templi subterranei quod est Isemboul. F. Lenormant, *Histoire ancienne*, III, p. 25.

principis deorum » possederunt eo quod « *ab Haedo concepti* » erant. Vocati sunt « *filii Isidis et Osiris ut Horus, Tauri potentes, vivi ut Sol.* » Dicti etiam sunt, in titulis sacris litteris scriptis, « *aeterni, similes Phtha, patri Deorum, et a diis geniti* (1). »

Haec nomina Ptolemaei ideo assumebant ut se omnibus Pharaonum juribus succedere affirmarent, quippe qui ejusdem dei, cujus olim Pharaones, nunc et ipsi personam gererent. Cum autem Graeci jamdiu Aegyptium Osirim cum Dionyso suo confunderent, non semel dixerunt se Ptolemaei Dionyso natos (2). Scimus enim in Dionysiorum pompa, quam memorat Callisthenes apud Athenaeum, Ptolemaeum primum propriam statuam, aliam reginae Berenices, tertiam filii sui inter deorum statuas in curribus collocavisse, quo apertius omnibus faceret reges Dionysi honoribus esse sociandos (3).

Post eum Ptolemaeus tertius, qui et Evergetes, se in lapidibus laudat quod utrinque a Jove ortus sit : Τὰ μὲν ἀπὸ πατρὸς Ἡρακλέους τοῦ Διὸς, τὰ δὲ ἀπὸ μητρὸς Διονύσου τοῦ Διός (4).

Ptolemaeus quartus, qui et Philopator, Dionysum

(1) *Great stele of Mendes. Records of the Past*, VIII, p. 91. *Revue égyptologique*, 1885, p. 111, etc., 1880, p. 123. *Inscript. Rosettan.*, *C. I. G.*, 4697, l. 2, 3, 9 et 10. Titul. repert. apud Damanhour. *Recueil de travaux relatifs à la philologie et à l'archéol. égypt. et assyr.*, 1885, p. 5, l. 1-6, 9, etc.

(2) Letronne, *Inscriptions d'Egypte*, I, p. 396 ; II, p. 83. Lafaye, *Histoire du culte des divinités d'Alexandrie*, p. 7 et seq.

(3) Athenaeus, *Deipnos.*, V, 34, p. 202.

(4) *C. I. G.*, 5127. Cf. Imhoof-Blumer, *Monnaies grecques*, p. 456, n. 9 et 10. *Porträtkopfe auf Antiken Münzen Hellenischer... Völker*, p. 62, tab. VIII, n. 5.

cognomen privatim, ut ita dicam, sumpsit (1), Ptolemaeus vero decimus tertius publice vocatus est νέος Διόνυσος et Dionysi cultui addictissimus fuit (2). Ut vero Dionysus semper nepotes suos tueretur, parata est in naviculo regio, domus quaedam Bacchica (οἶκος βακχικός) in qua pictae erant sacrae regum imagines (3).

Quae cum ita sint, nemo mirabitur artificum collegia una cum Dionyso Ptolemaeos fuisse venerata, nec Alexandrinos scriptores tam saepe Dionysum in operibus suis laudavisse (4), nec denique civitatem Alexandriam hunc deum primae suarum tribuum dedisse ἐπώνυμον (5).

Ex his manifestum est maximae curae Ptolemaeis fuisse ut rite sive ab Aegyptiis, sive a Graecis colerentur. Loquamur primum de Aegyptiorum religione in Ptolemaeos.

Nihil novimus de honoribus quos Ptolemaei primus et secundus vivi acceperunt. Suspicari tamen licet eos, sacerdotum decreto, quorum ad concilium pertinebat quidquid ad religionem spectaret, deos fuisse nominatos, et eorum natalicia publice celebrata. Quos enim dies festos in honorem Deorum Evergetarum ante Canopeum decretum jam institutos novimus quis dixerit in honorem Soterum et Adelphorum non exstitisse?

(1) Clemens Alexand., *Protrept.*, IV, 54, p. 47 et 48 (edit. Potter). Cf. Head, *Historia nummorum*, p. 725.

(2) *C. I. G.*, 2277 *a*, *b*. Newton, *History of Discoveries at Halicarnassus*, App., n. 60. Cf. Chabouillet, *Catalogue général des camées*, n. 2060.

(3) Athenaeus, *Deipnos.*, V, 138, p. 205 *b*.

(4) Lumbroso, *L'Egitto al tempo dei Grecci*, p. 107. Cf. Revillout, *Revue égypt.*, 1880, p. 22, n. 1. *B. C. H.*, 1885, p. 183 et seq.

(5) Satiros, apud Müller, *Fragm. Hist. Graec.*, III, p. 165.

Nullius tamen decreti vestigium novimus ante illud quo sacerdotes jusserunt : quinta die cujusque mensis, natalicia Deorum Evergetarum, vicesima quinta, natale imperii eorum celebrari, nona denique alicujus facti quod nescimus, forsan accepti divini nominis, memoriam agi (1). Jam vero antea, prima cujusque anni die, rex cum aliis diis invocabatur.

Non multo post, septima scilicet die mensis Apellaei, anni noni ejusdem Ptolemaei III Evergetae I (2), sacerdotes, qui, die quinta mensis Dii, ad natalicia regis agenda convenerant, prioribus novos honores addidere (3). Hujus decreti causa fuit quod erga deos rex se piissimum ostenderat, Aegyptios optime rexerat, denique fame oppressis fuerat opitulatus (4).

Quam ob rem grati sacerdotes decrevere :

1° Deorum Evergetarum et eorum parentum, Deorum Adelphorum, et eorum avorum Deorum Soterum honores augeri (5).

2° Sacerdotes omnium templorum, quae in regione

(1) *Decret. Canop.*, Miller, *Journal des savants*, 1883, p. 214 et seq., l. 26 : καὶ ἐπειδὴ καθ' ἕκαστον μῆνα ἄγονται ἐν τοῖς ἱεροῖς ἑορταὶ τῶν Εὐεργετῶν θεῶν κατὰ τὸ πρότερον γραφὲν ψήφισμα. Cf. l. 35.

(2) L. 1. 7ª die martii 238 ante Christ. nat.

(3) *Decretum Canopeum*, l. 4 : εἰς τὴν πέμπτην τοῦ Δίου ἐν ᾗ ἄγεται τὰ γενέθλια τοῦ βασιλέως, καὶ εἰς τὴν πέμπτην καὶ εἰκάδα τοῦ αὐτοῦ μηνὸς, ἐν ᾗ παρέλαβεν [τὴν βασιλείαν] παρὰ τοῦ πατρός.

(4) L. 6-15. Ait sanctus Hieronymus (In Danielem, XI, 7-9) : « Quia deos eorum rettulerat. »

(5) L. 16 : τάς τε προυπαρχούσας τιμάς ἐν τοῖς ἱεροῖς βασιλεῖ Πτολεμαίῳ καὶ βασιλίσσῃ Βερενίκῃ, θεοῖς Εὐεργέταις, καὶ τοῖς γονεῦσιν αὐτῶν θε[οῖς Ἀδελφοῖς], καὶ τοῖς προγόνοις θεοῖς Σωτῆρσιν αὔξειν.

sunt, deinceps suo nomini addere verba : καὶ τῶν Εὐεργετῶν θεῶν (1).

3° Hoc novo nomine eos in omnibus actibus designari, annulosque, quos digito ferunt, sacerdotio Evergetarum inscribi (2).

Ante Canopeum decretum quattuor modo sacerdotum tribus annumerabantur, tum creata est quinta tribus, quae vocata est Deorum Evergetarum tribus. In eam conscripti sunt qui sacerdotes creati sunt inde a primo anno regni Evergetae ad mensem Mesorum anni noni. Qui vero antea jam sacerdotes erant, quisque in sua tribu remanserunt. Postea autem quisque in eadem tribu in perpetuum mansurus erat in qua inscriptus fuerat pater aut avus (3).

Ob eam novae tribus institutionem crevit numerus legatorum a sacerdotibus in annuum concilium missorum. Quinta enim tribus quinque legatos misit qui pristinis viginti additi sunt (4). Hoc decreto creati sacerdotes

(1) L. 17 : καὶ τοὺς ἱερεῖς τοὺς ἐν ἑκάστῳ τῶν κατὰ τὴν χώραν ἱερῶν προσονομάζεσθαι ἱερεῖς καὶ τῶν Εὐεργετῶν θεῶν.

(2) L. 18 : καὶ ἐν[γράφεσθαι] ἐν πᾶσιν τοῖς χρηματισμοῖς, καὶ ἐν τοῖς δακτυλίοις οἷς φοροῦσιν προσενκολάπτεσθαι καὶ τὴν ἱερωσύνην τῶν Εὐεργετῶν θεῶν.

(3) L. 18-22 : προσαποδει[χθῆναι δὲ] πρὸς ταῖς [νῦν ὑπαρχούσαις] τέσσαρσι φυλαῖς τοῦ πλήθους τῶν ἱερέων τῶν ἐν ἑκάστῳ ἱερῷ καὶ ἄλλην, ἣ προσονομασθήσεται πέμπτη φυλὴ τῶν Εὐεργετῶν θεῶν · ἐπεὶ καὶ σὺν τῇ ἀγαθῇ τύχ[ῃ καὶ τὴν] γένεσιν βασιλέως Πτολεμαίου, τοῦ τῶν θεῶν Ἀδελφῶν, συμβέβηκεν γένεσθαι τῇ πέμπτῃ τοῦ Δίου, ἣ καὶ πολλῶν ἀγαθῶν ἀρχὴ γέγονεν πᾶσιν ἀνθρώποις, εἰς δὲ [τὴν φυλὴν] ταύτην καταλεχθῆναι τοὺς ἀπὸ τοῦ πρώτου ἔτους γεγενημένους ἱερεῖς καὶ τοὺς προσκαταταγησομένους ἕως μηνὸς Μησορὴ τοῦ ἐν τῷ ἑνάτῳ ἔτει καὶ το[ὺς τούτων] ἐκγόνους εἰς τὸν ἀεὶ χρόνον. κ. τ. λ.

(4) L. 23-24 : προσλαβομένων ἐκ τῆς πέμπτης φυλῆς τῶν [Εὐεργετῶν] θεῶν ἄλλων πέντε.

participes fuerunt omnium privilegiorum quibus gaudebant priores, et cuique tribui praefectus est φυλάρχης (1).

Quae quidem quinta tribus ab eo tempore revera in contractibus lingua demotica scriptis nominatur. Ait enim in Taurinea quadam papyro scriba se subscribere : « nomine sacerdotum Ammonis-Ra, regis Deorum, et Deorum Adelphorum, et Deorum Evergetarum, et Deorum Philopatorum, et Deorum Epiphanum, et Dii Philometoris, et Eupatoris et Deorum Evergetarum, quinti ordinis (2). » Proinde ergo, post Evergetas Adelphosque qui in Canopeo decreto nominantur, eorum quoque successores quinta tribus honoravit.

Jam vero festis diebus qui antea celebrabantur eodem decreto additi sunt novi. « Prima die anni, aiunt sacerdotes, ut in honorem aliorum deorum, sic et in honorem regis Ptolemaei et reginae Berenices, Deorum Evergetarum, pompa solemnis erit in omnibus templis (3). Festumque per quinque dies continuabitur, in quibus coronae portabuntur et offerentur sacrificia et libabitur (4).

« Quarto cuique anno (quem nunc vocamus bissextilem), dies addetur, praeter quinque hos qui dicebam-

(1) L. 25 : μετέχειν δὲ καὶ τοὺς ἐκ τῆς πέμπτης φυλῆς τῶν Εὐεργετῶν θεῶν τῶν ἀγνειῶν καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων τῶν ἐν τοῖς ἱεροῖς, καὶ φύλαρχο[ν αὐτῆς εἶναι], καθὰ καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων τεσσάρων φυλῶν ὑπαρχει.

(2) *Papyr. Taurin.*, 174, 23. Revillout, *Nouvelle Chrestomathie démot.*, p. 107. Cf. alteram papyrum anni quarti Ptolemaei Philometoris (165). *Nouv. Chrest. dém.*, p. 121.

(3) L. 27-28 : ἄγεσθαι κατ' ἐνιαυτὸν παν[ήγυριν δημοτελῆ] ἔν τε τοῖς ἱεροῖς καὶ καθ' ὅλην τὴν χώραν, βασιλεῖ Πτολεμαίῳ καὶ βασιλίσσῃ Βερενίκῃ, θεοῖς Εὐεργεταῖς.

(4) L. 31 : καὶ συντελεῖν αὐτὴν ἐπὶ ἡμέρας πέντε μετὰ στεφανηφορίας καὶ θυσι[ῶν καὶ σπονδῶν] καὶ τῶν ἄλλων τῶν προσηκόντων.

tur ἐπαγόμενοι, et Diis Evergetis sacrabitur, ob ordinem mundi a Ptolemaeis in melius redactum (1). »

Hos honores quos Evergetae tribuerant non satis fore Epiphani sacerdotes crediderunt. Nono enim ejus regni anno statuerunt etiam illos honores augere et majori veneratione prosequi Regem Ptolemaeum Deum Epiphanem Eucharistum et ejus parentes Deos Philopatores, Evergetas, Adelphos, et Soteres. Decretum, quod de ea re tulerunt, ad nostrum tempus servavit lapis qui dicitur Rosettanus (2).

Hi sunt novi a sacerdotibus decreti honores : « Imago regis in omnibus templis ponetur, in loco nobilissimo (3). Prope regem pingetur deus templi praecipuus, qui regi offeret ὅπλον νικητικόν (4). Ter quoque die mundabitur ornabiturque imago regia, ut ceterorum deorum imagines ornari et mundari solent (5). In penetralibus templi servabuntur altera lignea regis imago (ξόανον) et aedicula (ναός) quae in pompis ferentur, ut ferri solent ceterorum deorum imagines et aediculae. Portabuntur simul regia insignia, amuleta, coronae, vestimenta, salutationum formulae (προσκυνήματα) cete-

(1) L. 35-38.

(2) Letronne, *Inscriptions grecques et latines de l'Egypte*, I, p. 244 et seq. Anno nono Ptolemaei V Epiphanis (196).

(3) L. 38-39 : εἰκόνα ἐν ἑκάστῳ ἱερῷ, ἐν τῷ ἐπιφα[νεστάτῳ τόπῳ].

(4) L. 39 (Memorat Letronnius hujusmodi imagines usitatissimas apud Aegyptios in templis fuisse. *Inscr. de l'Egypte*, p. 302) : καὶ παρεστήξεται ὁ κυριώτατος θεὸς τοῦ ἱεροῦ, διδοὺς αὐτῷ ὅπλον νικητικόν.

(5) L. 40 : καὶ τοὺς ἱερεῖς θεραπεύειν τὰς εἰκόνας τρὶς τῆς ἡμέρας, καὶ παρατιθέναι αὐταῖς ἱερὸν κόσμον, καὶ τἄλλα τὰ νομιζόμενα συντελεῖν, καθὰ καὶ τοῖς ἄλλοις θεοῖς ἐν ταῖς ἐν Αἰγύπτῳ πανηγύρεσιν.

raque hujus modi (1). Ut vero agnoscatur aedicula regia, super eam erunt decem regii capitis ornamenta inter quae illud quod vocatur Pschent, quo rex coopertus erat cum Memphim intravit; et ante ea figurabitur aspis (2).

« Pristinis festis diebus, nataliciis scilicet regis, et diei in qua recepti nominis memoria renovabatur, addun tur alii plures. Non enim quotannnis tantum, sed quoque mense, dies illi celebrabuntur (3), in omnibus templis et major solemnitas erit per quinque primos dies mensis Thoyth. Offerentur etiam regi sacrificia et libamina, et sacerdotes suorum deorum nominibus regis nomen adjicient (4). »

Hoc decreto mutatam omnino fuisse Aegyptiorum in Ptolemaeos religionem, censet Felix Robiou (5). Putat enim vir doctus, ante decretum Rosettanum, nunquam Ptolemaeos prius in deorum numerum relatos quam e vita decesserant, post decretum vero, eos etiam vivos adoratos fuisse. Erravisse virum doctum nos monet quod modo rettuli-

(1) L. 41-43 : ἱδρύσασθαι δὲ .... ξόανόν τε καὶ ναὸν χρ[υσᾶ ἐν ἑκάστῳ τῶν] ἱερῶν, καὶ καθιδρύσαι ἐν τοῖς ἀδύτοις μετὰ τῶν ἄλλων ναῶν, καὶ ἐν ταῖς μεγάλαις πανηγύρεσιν, ἐν αἷς ἐξοδεῖαι τῶν ναῶν γίνονται, καὶ τὸν τοῦ θεοῦ Ἐπιφανοῦς [Εὐ]χαρίστου ναὸν συνεξοδεύειν.

(2) L. 44-45.

(3) L. 47-48 : ἄγειν τὰς ἡμέρας ταύτας ἑορτ[ὴν, καὶ πανήγυριν, ἐν τοῖς κατὰ τὴν Αἴ]γυπτον ἱεροῖς, κατὰ μῆνα.

(4) L. 49-50 : ἄγειν δὲ ἑορτὴν καὶ πανήγυριν... κατ' ἐνι[αυτὸν ἐν τοῖς ἱεροῖς κατὰ τὴν] χώραν ἀπὸ τῆς νεομηνίας τοῦ θωὺθ, ἐφ' ἡμέρας πέντε, ἐν αἷς καὶ στεφανηφόρησουσιν συντελοῦντες θυσίας καὶ σπονδὰς, καὶ τ'ἄλλα τὰ καθήκοντα, προσαγορε[ύεσθαι δὲ τοὺς ἱερεῖς τῶν ἄλλων θεῶν] καὶ τοῦ θεοῦ Ἐπιφανοῦς Εὐχαρίστου ἱερεῖς πρὸς τοῖς ἄλλοις ὀνόμασιν τῶν θεῶν ὧν ἱερατεύουσι.

(5) F. Robiou, *Aegypti regimen*, p. 99.

mus Canopeum decretum. In eo enim Evergetis vivis et divinum nomen et divini honores tribuuntur.

Quo modo res se gesserint docent papyri. Ptolemaeus III Evergetes in prioribus regni sui annis nunquam in posterioribus vero semper, id est saltem post decretum Canopeum (1) Deus nominatur. Item Ptolemaeus IV Philopator tantum ab octavo regni sui anno (213) Deus vocatur; nunquam vero ante hoc tempus (2). Idem fit de Epiphane. Anno regni sui secundo (203) deest ille rex in Deorum Ptolemaeorum catalogo; adest vero octavo anno (197), sed nomine tantum regio, non divino, deinde post decretum Rosettanum semper nominatur Deus Epiphanes (3). Hinc concludimus reges non a regni sui initio deos vocatos fuisse, sed divinum cognomen sacerdotali decreto debuisse, cum de Aegyptiis praeclaro quodam facinore bene meruerant (4).

Quam ob causam divinum suum cognomen Ptolemaeo tertio sacerdotes concesserint non omnino compertum habemus. Ait enim Hieronymus ab Aegyptiis regem Evergetam dictum fuisse, quia post multos annos deos eorum rettulerat (5). His verbis decreto Canopeo allu-

(1) *Papyr. Paris.*, 2429, 2415 (XII, 11, 12). Cf. Revillout, *Revue archéol.*, 1877, I, p. 328. Antea non deus dicitur. *Papyr. Paris.*, 2438 (XII, 9).

(2) *Papyr. Massil.*, *Revue égypt.*, 1880, p. 20. *Papyr. Anastas.*, 37. *Brit. Mus.*, *Revue égypt.*, *ibid.*

(3) Revillout, *Revue archéol.*, *l. l.*, *Papyr. Paris.*, 3266 (XII, 16).

(4) Duo nomina habebant Ptolemaei : Aegyptium unum quod dicitur *nomen vexilli* (nom de bannière), de quo minus curabant reges, et alterum Graecum cui adjungebatur vocabulum Deus. Hoc altero nomine uti solebant.

(5) Hieronymus in *Commentario in Danielem*, XI, 7-9, p. 706 : « Gens

dere videtur, sed probabilius est Ptolemaeum cognomen suum antea jam recepisse. Aliter enim intellegi non possit cur de cognominis donatione decretum sileret. Animadvertas etiam velim sacerdotes in templo deorum Evergetarum convenisse (1). Jamdiu ergo Ptolemaeus Evergeta appellatus erat. Veri similius igitur est Ptolemaeum tertium cognomen suum a sacerdotibus accepisse per anterius decretum quod in Canopeo memorant (2).

Decreti Rosettani occasionem nos docent annalium scriptores. Mortuo enim Philopatore in puerum, ejus filium, Aegyptii rebellaverunt, et ipsi Alexandrini novas res moliti sunt. In omnibus Aegypti partibus duces sui juris esse tentaverunt. Internis dissentionibus additum est bellum cum Antiocho, rexque Ptolemaeus in eo fuit ut totum regnum perderet. Tandem magis prospera ejus fortuna evasit. Scopas in Palestina Antiochi exercitum distinuit, Senatusque Romanus Syrorum regem jussit finem bello afferre. Tum Ptolemaeus Aegyptios duces qui se ipsos reges fecerant totis viribus aggressus est. Urbs Lycopolis obsessa est, et impii qui rebellium partibus faverant acerbissimas poenas solverunt. Ut firmior fieret regis potestas statutum etiam est illum antiquo more Memphi coronari. Tunc celebrata est pompa quae in Rosettano lapide describitur; antiquis enim ritibus coronatus magis sacer Aegyptiis rex

Aegyptiorum, quia post multos annos deos eorum rettulerat, Evergetam eum appellavit. »

(1) *Decr. Canop.*, l. 1-5.

(2) Lepsius, *Das bilingue Decret von Kanopus*, p. 6. — *Revue égyptol.*, 1886, p. 14.

esse debebat. Simul ille accepit divinum quo abhinc usus est cognomen Epiphanem (1).

In utroque decreto supra laudato accurate describitur quae fuerit deorum Ptolemaeorum in Aegyptiorum religione condicio. Fiunt hi veterum numinum socii, id est σύνναοι θεοί (2). Hunc locum revera eos tenuisse nos docent et tituli et papyri.

In Alexandria enim neminem fugit praecipuos fuisse Deos Serapim et Isidem. His socii adscripti sunt Soteres et Philopatores, ut patet titulo a Lumbroso nuper reperto (3). Invenit doctissimus ille vir in lapide angulari cujusdam templi folium aureum, punctis inscriptum, in quo legitur :

ΣΑΡΑΠΙΔΟΣ ΧΑ/ ΙΣΔΟΣ ΘΕΩΝ ΣΩΤΗΡΩΝ
ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ
ΑΡΣΙΝΟΗΣ ΘΕΩΝ ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΩΝ.

Σαράπιδος (κ)αὶ Ἴσ(ι)δος, θεῶν Σωτήρων, καὶ βασιλέως Πτολεμαίου, καὶ βασιλίσσης Ἀρσινόης, θεῶν Φιλοπατόρων.

Titulum inscriptum esse ab Aegyptio sculptore, lingua graeca non quidem doctissimo, litterae quaedam demonstrant, sed translatione quae subjacet, sacris litteris notata, apparet templum simul Serapidi (Osorhapi), Isidi

(1) Cf. de his Revillout, *Revue égypt.*, 1880, p. 19 et seq.

(2) Eodem modo diis sociabantur Pharaones. Cf. Lenormant, *Histoire ancienne*, II, p. 111 ; III, p. 24.

(3) Maspero, *Recueil de travaux relatifs à la philologie et à l'archéol. égypt. et assyr.*, 1886, p. 141.

et Diis Soteribus a Ptolemaeo et Arsinoe, Diis Philopatoribus, fuisse dedicatum.

Eodem modo Thebis fuerunt ἱερεῖς τοῦ Ἀμμονρασόνθηρ καὶ τῶν συννάων θεῶν (1). Qui fuerint hi σύνναοι θεοί per papyros novimus. In papyro enim Berolinea anni vicesimi tertii Ptolemaei Epiphanis (182) adest sacerdos Ammonrasonther, Deorum Adelphorum, Deorum Evergetarum, Deorum Philopatorum, Deorum Epiphanum Deique Epiphanis Eucharisti (2). Post hos deos adjiciuntur annis sequentibus nomina Deorum Philometoris, Eupatoris et Evergetae (3). Regnante Ptolemaeo decimo Alexandro, post Ammonrasonther nominantur tantum Dii Adelphi et Evergetae et Philopatores quasi aliorum memoria obsoleta fuerit (4).

Ex eo quod sacerdotes hi nunquam Soterum sacerdotes dicuntur, jure concludit Lepsius illud sacerdotium fuisse institutum regnante Philadelpho qui semper primus in Deorum serie apparet (5).

E sarcophago, ex collectione Anastasea desumpto, quod nunc in Musaeo Berolineo servatur, discimus fuisse Mem-

(1) Brugsch, *Lettre à M. de Rougé*, p. 56 et seq. *Papyri in the Brit. Mus.*, I, p. 1.

(2) *Papyr. Berol.*, I *a*, *b*. Cf. *Papyr. Taur.*, 174, 23. *Nouvelle Chrestom. démot.*, p. 107.

(3) *Papyr. Berol.*, II, anni sexti Philometoris (175). *Papyr. Grey.*, anni trigesimi quinti ejusdem regis, et *Papyr. Berol.*, IV, anni trigesimi sexti (146 et 145). *Papyr. Berol.*, V, anni vicesimi noni Evergetae II (141). Lepsius, *Uber einige ergebnisse der Aegyptischen Denkmäler für die Kenntniss der Ptolemäergeschichte*, p. 45.

(4) *Papyr. Berol.*, XVI *a*, *b*. Anni vicesimi Sexti Ptolemaei Alexandri (89). Lepsius, p. 45.

(5) Lepsius, *l. l.*, p. 45.

phi sacerdotes Deorum Evergetarum et Deorum Philopatorum. Amasis quidam (Aahmes) hoc munere functus est (1). Hujus filius Herhetu vocatur in titulo, qui nunc in Britannico Musaeo videtur, sacerdos Phtha (2). In lapide alio, qui nunc est Viennae, Anemhi, que ejus filius Haremschu et nepos Teti dicuntur sacerdotes Phtha et Deorum Evergetarum et Philopatorum (3). Memphi ergo Ptolemaei erant Dei Phtha θεοὶ σύνναοι. Quod sacerdotium regnante Evergeta institutum fuisse ex eo concludendum est, quod priores reges nunquam nominantur.

Abati et Philis, Alexander, Dii Soteres, Dii Adelphi, Dii Evergetae, Dii Philopatores, Diique Evergetae Isidi consociantur (4).

Hi sunt honores quos Aegyptii Ptolemaeis tribuerunt. Ex his enim quae diximus patet et Aegyptios sacerdotes Ptolemaeos cum suis diis coluisse, et templa antiqua illis quasi collocata fuisse. Inde sanctius erat regium nomen et firmior potestas.

Notandum tamen est sacerdotes locum Ptolemaeis in Aegyptia religione dando, aliquid antiquorum morum immutavisse. Inauditum enim est Pharaonem in titulis sacris litteris scriptis Pharaonis alterius filium dici. Nullum sibi patrem agnoscebant nisi Solem, ut ait Bion Solensis de Aethiopibus (5). Cum ergo Epiphanes a sacer-

(1) Lepsius, *l. l.*, p. 46. Lumbroso, *L'Egitto al tempo dei Grecci*, p. 152.

(2) Sharpe, *Egypt. Inscript. from the Brit. Mus.*, tabul. 48. Lepsius, *l. l.*, p. 46. Lumbroso, *l. l.*, p. 152.

(3) Lepsius, *l. l.*, p. 46.

(4) Wilken, *Hermes*, 1887, p. 1-16, ad., *C. I. G.*, 4936.

(5) Müller, *Fragm. Hist. Graec.*, IV, p. 351, n. 5. Cf. Revillout, *Revue égyptol.*, 1880, p. 16 et seq.

dotibus simul vocatur υἱὸς τοῦ Ἡλίου et ἔκγονος θεῶν Φιλοπατόρων, duo asseruntur quasi contraria. Sed hanc contradictionem parum curabant reges dummodo veri et soli in Aegypto domini agnoscerentur.

II. — *De divinis honoribus quos Graeci Ptolemaeis tribuerunt.*

Etsi filii Ra vocabantur et novi Osires, tamen non oblivisci poterant Ptolemaei se Graecam dominationem barbarae genti imposuisse. Utile igitur eis visum est potentiam suam novae religionis consecratione stabilire, et primum divinos honores Alexandro dare, non generis quidem auctori, sed regni saltem principi.

Primus Soter in Alexandrum piissimus fuit. Tumulum ejus magnifice honoravit, templum ei aedificavit, sacrificia obtulit, ludos denique instituit (1). Haec Soteris pietas suam mercedem accepit (2). Ipse enim a successore suo proprio sacerdotio donatus est ut infra videbimus.

Regnante Ptolomaeo secundo Philadelpho, institutus est Alexandriae sacerdos qui Alexandro et Philadelpho simul sacrificaret. Etsi sacerdos ille in papyris non apparet nisi post vicesimum regni hujus annum (3), verisimilius tamen est eum paulo antea fuisse

(1) Theocr., *Idyll.*, XVII, v. 16 : παρὰ σ'αὐτὸν Ἀλέξανδρος θεός. Addit Scholiastes : Μεγὰν Ἀλέξανδρον ὅν φασι καὶ αὐτὸν ἀπαθανισθῆναι. Diod. Sic., XVIII, 28, 4 : Κατεσκεύασεν οὖν τέμενος, κατὰ τὸ μέγεθος καὶ κατὰ τὴν κατασκευὴν τῆς Ἀλεξάνδρου δόξης ἄξιον, ἐν ᾧ κηδεύσας αὐτὸν καὶ θυσίαις ἡρωικαῖς καὶ ἀγῶσι μεγαλοπρέπεισι τιμήσας. Cf. Athenaeum, *Deipnos.*, XIV, 12, p. 620 *d*. Lumbroso, *L'Egitto al tempo dei Grecci*, p. 148.

(2) Diod. Sic., *ibid.* : καλὰς ἀμοιβὰς ἔλαβεν.

(3) *Papyr. Mus. Brit. Revue égypt.*, 1880, p. 6 et 15. Cf. p. 21.

institutum. Post hunc regem mansit sacerdotium idem in honorem simul Alexandri, Ptolemaeorumque mortuorum et regnantis Ptolemaei. Unus Soter, ante Ptolemaei quarti regnum, abest a catalogo. Peculiare enim ei templum erat in urbe Potelemaïde. Post octavum hujus regis annum (215) ceteris jungitur Soteris nomen (1). Quo fit ut, comparatis inter se titulis et papyris in quibus mentio fit de sacerdotibus Alexandrinis, confici possit Deorum Ptolemaeorum album ex sequentibus nominibus (2) :

Alexander,
Dii Soteres (3),
Dii Adelphi (4),
Dii Evergetes (5),
Dii Philopatores (6),
Dii Epiphanes (7),
Deus Eupator (8),
Deus Philometor (9),

(1) *Papyr. Mus. Brit.*, *Revue égypt.*, 1880, p. 135. Lepsius Soteris nomen anno Ptolemaei quarti duodecimo ceteris adjunctum fuisse perperam putat. *Uber einige ergebnisse*, p. 32.

(2) Adsunt cuncta nomina in *Papyro Berolinea* 105, quae regnante Ptolemaeo XI Alexandro scripta est. Revillout, *Nouvelle Chrestom. démot.*, p. 20.

(3) *C. I. G.*, 2615, 4697, etc.

(4) *C. I. G.*, 4694, 4697, etc. Letronne, *Inscr. de l'Egypte*, I, p. 2. *B. C. H.*, 1885, p. 146.

(5) *C. I. G.*, 2492, 4697, etc. Letronne, *Recherches*, p. 338.

(6) *C. I. G.*, 4697, etc. *Revue archéol.*, 1874, I, p. 49.

(7) *C. I. G.*, 4703 *c*, 4697, 4712, 4894.

(8) *C. I. G.*, 2618. Wadd., *Ins. As. Min.*, 2809.

(9) *C. I. G.*, 2451, 4859, 4979, etc. *Numismat. Chronicle*, 1865, p. 330. Letronne, *Recherches*, II, I, 3; II, 1, 6; III, 2, 4, 2. Champollion, *Gramm. Egypt.*, XII, § 248. *Papyr. grecs du Louvre*, p. 279, 292, 300, 302. *B. C. H.*, 1885, p. 145.

Deus Philopator II (1),

Dii Evergetes II (2),

Dii Philometores II, Soteres II (3),

Quibus adjunctos fuisse probabilius est : Deos Philopatores et Philladelphos (4) et Deum Caesarem Philopatorem et Philometorem (5).

Sacerdotes Ptolemaeorum Alexandrini praecipuum in regno locum obtinuerunt. Eligebatur enim ad hoc munus nobilitate quisque praestantissimus (διαφέρων ἐν γένει τῶν ἄλλων πάντων) (6). Sacerdos dignitate sua per annum unum fruebatur, et erat eodem tempore ἐπιμελιστὴς τῆς πόλεως, sed quod fuerit hoc munus penitus ignoramus (7). Novimus saltem eum talentum unum sacerdotii sui mercedem accepisse, id est eamdem qua fruebatur dux qui exercitui praeerat (8). Ei insignia erant corona aurea et purpurea vestis (κεκοσμημένος χρυσέῳ στεφάνῳ καὶ πορφυρίδι), et inviolabilis erat (ἀνύβριστος). Nemini enim eum in jus vocare vel laedere fas erat (9). Sacerdotium iterare Alexandrinus flamen non prohibebatur; legimus enim in papyris eumdem Aetum

(1) *C. I. G.*, 4877 *b*. *Bull. critiq.*, 1885, p. 75. Perperam Letronne, *Insc. de l'Egypte*, I, p. 366, et *Recherches*, VI, 2, 3, et Robiou, *Aeg. Regimen* p. 103, Eupatorem et Philopatorem confundunt.

(2) *C. I. G.*, 2622, 4860, etc.

(3) *C. I. G.*, 4716 *e*.

(4) *Papyr. Lugd. Batav.*, 374 et 374 *b*. *Revue égypt.*, 1881-82, p. 91. *Papyr. Paris.*, 3268 (XII, 24). *C. I. G.*, 4898, 4899, etc.

(5) *C. I. G.*, 4717. Ille vocatur in nummis Philometor.

(6) *Pseudo Callisth.*, edit. Müller, III, 33, p. 149.

(7) *Ibid.* : βούλομαι δὲ.... καὶ ἐνιαύσιον (?) καταστῆναι ἐπιμελιστὴν τῆς πόλεως.

(8) *Ibid.* : λαμβάνων ἐνιαύσιον τάλαντον. Cf. Diod. Sicul., XX, 75.

(9) Pseudo-Callisth., *l. l.*

pluries sacerdotio functum fuisse (1). Consumpto flamonio dignitas flaminibus manebat simulque munerum immunitas. Quae quidem munera erant : onus repurgandi fluminis, mittendi servos et jumenta ad colendum agrum regium necessaria, denique olei conficiendi. Post mortem sacerdotis, si non immunitas, dignitas saltem ad posteros ejus transibat (2).

Alexandrini sacerdotes fuerunt ἐπωνύμοι, non in ea urbe solum sed et in tota Aegypto. Horum nomina et sacerdotum Aegyptiorum decretis et privatorum inter se conventis inscripta sunt (3). Quae agendi ratio Graecorum moribus plane consentanea erat. Quem enim fugit quam frequenter legatur in titulis haec formula ἐπ' ἀρχιερέως τοῦ δεινά? Sacerdos ille cujus nomen sic publicis actis inscribebatur plerumque dei, quem sanctius civitas quaeque habebat, templo inserviebat. In Aegypto autem praecipui certe dii, ideoque semper ad memoriam revocandi, erant reges, jusserunt igitur Ptolemaei nullum alium sacerdotem ἐπώνυμον esse nisi suum (4).

Vulgata etiam apud doctos viros opinio est Alexandrinum sacerdotem fuisse ἐπιστολόγραφον, id est a regiis libellis ; quod quidem munus apud Ptolemaeos praecipuum erat. Asseruntque post Letronne eum de omnibus quae

(1) Videas Appendicem.

(2) Pseudo-Callisth., *l. l.* : καὶ μένει αὕτη ἡ δωρεὰ αὐτοῖς δὲ καὶ τοῖς ἐγγόνοις. De muneribus, vide Lumbroso. *L'Egitto al tempo dei Grecci*, p. 151. Qui quidem de his omnibus optime disseruit, *l. l.*, p. 149 et seq.

(3) Ex his actis nomina sacerdotum afferimus in Appendice.

(4) Cf. C. Wescher, *Revue archéol.*, 1866, I, p. 161.

ad religionem pertinerent curam habuisse, ut per eum omnia ad regis nutum gererentur (1).

At unicum doctissimi viri argumentum e titulo desumitur valde mutilo, quem ipse ad suam mentem restituit. Cum enim legeret vir doctissimus sacerdotes Isidis qui erant Abati et Philis a rege petere ut Numenio ἐπιστολογράφῳ mandet ne patiatur se a Locho Thebaidis praetore neve ab alio quoquam amplius vexari, liceatque sibi, ut mos erat, lapidem erigere in quo regis responsum inscribatur (2), perperam censuit licentiam eam a Numenio datam fuisse. Duplici tamen sensu verba sacerdotum intelligi posse ipse animadvertit, et nos credimus, sed cum docto viro Wilcken putamus regi tribuendum esse ut verbum συντάξαι, sic et verbum διδόναι, et proinde licentiam erigendi lapidem, non a Numenio, sed a rege dari.

Item minime standum restitutioni quam fecit Letronne versuum qui in secundo titulo desunt. Cum vidisset in prooemio epistolae, quae huic lapidi inscribitur nomina inesse plurium Deorum Ptolemaeorum, illis praeposuit nomen sacerdotis eorum Deorum, quem epistolae auctorem credebat. Hac mente sic totam inscriptionem legendam asserit :

> [Τοῖς ἱερεῦσι τῆς ἐν Ἀβάτῳ καὶ ἐν Φίλαις Ἴσιδ
> ος, Νουμήνιος, ὁ συγγένης καὶ ἐπιστολογράφος,

(1) Letronne, *Inscript. de l'Egypte*, I, p. 360. Post eum F. Robiou. *Aegypti regimen*, p. 90. Bœckh, *C. I. G.*, IV, p. 306 et seq.

(2) Letronne, *Insc. de l'Egypte*, I, p. 337, l. 13 : δεόμεθ' ὑμῶν, θεῶν μεγίστων, ἐὰν φαίνηται, συντάξαι Νουμηνίῳ.... γράψαι Λόχῳ... μὴ παρενοχλεῖν ἡμᾶς πρὸς ταῦτα,... καὶ ἡμῖν διδόναι τοὺς καθήκοντας περὶ τούτων χρηματισμούς. κ. τ. λ.

ἱερεὺς θεοῦ Ἀλεξάνδρου καὶ θεῶν Σωτήρων καὶ θεῶν
Ἀδελφῶν καὶ θε]ῶν Εὐεργετῶ[ν καὶ θεῶν Φιλοπατόρων
καὶ θε]ῶν Ἐπιφανῶν καὶ θεοῦ Εὐπάτορος [καὶ θεοῦ Φιλο]
μήτορος καὶ θεῶν Εὐεργετῶν, χαίρειν. κ. τ. λ.

Animadvertas enim oportet in tertio titulo qui prioribus conjungitur adesse epistulam ad Lochum missam. Hanc ipse rex scripsit; verisimile igitur est eum et alteram ad sacerdotes missam scripsisse. Rectius igitur supplet Wilcken :

[Βασιλεὺς Πτολεμαῖος καὶ βασίλισσα Κλεοπάτρα, ἡ γυνή,
θεοὶ Εὐεργεται, τοῖς ἱερεῦσι τοῖς ἐν τῷ Ἀβάτῳ
καὶ ἐν Φίλαις Ἴσιδος θεᾶς μεγίστης καὶ θεῶν
Ἀδελφῶν καὶ θε]ῶν Εὐεργετῶ[ν καὶ θεῶν Φιλοπατόρων.
κ. τ. λ.

vel alia hujus modi. Nullo igitur modo Numenius probatur fuisse sacerdos Ptolemaeorum. Item duo alii quos novimus ἐπιστολογράφοι non dicuntur sacerdotes; in vanum ergo eunt quae commentatus est Letronne, ingeniose quidem (1).

Incertum etiam est num Musaeo praefuerit Flamen Ptolemaeorum. Praefuisse Musaeo sacerdotem ait Strabo, a regibus olim, postea vero a Romanis Imperatoribus nominatum (2), sed cujus dei fuerit hic sacerdos nescimus. Cogitat Letronne de flamine Alexandri et Ptolemaeorum, non certe sine veri similitudine, sed nullus ad-

(1) Cf. Wilken, *Hermes*, 1887, p. 1-16.

(2) Strabo, XVII, 1, 8 : ἱερεὺς... τεταγμένος τότε μὲν ὑπὸ τῶν βασιλέων. Cf. F. Robiou, *Aegypti regimen*, p. 81.

huc repertus est titulus, neque scriptoris alicujus locus ex quo istius modi munus huic flamini impertitum fuisse comperiamus.

Ut Alexandriae primus Deorum Ptolemaeorum habitus est Alexander, ita Ptolemaide Soter qui hanc urbem condiderat. Patrem in deorum numerum rettulit Philadelphus (1).

De sacerdotio Ptolemaide instituto nihil novimus nisi ex contractuum prooemiis. Priscis autem temporibus sacerdotes Alexandrini soli his prooemiis inscribuntur, de Ptolemaidis vero flaminibus nulla mentio fit ante Ptolemaeum quartum Philopatorem. Anno octavo hujus regis (215) nominatur sacerdos Ptolemaei, et Deorum Philopatorum in regione Thebaidos (2), qui, mutato paulisper nomine, vocatur, anno duodecimo (211), sacerdos Ptolemaei Dei et Deorum Philopatorum (3). Anno vicesimo tertio (200) adest Sacerdos Ptolemaei Soteris et regis Ptolemaei Dei Epiphanis Eucharisti (4), quem etiam reperimus anno vicesimo Ptolemaei quinti Epiphanis (185) (5). Notandum tamen est hoc sacerdotium neque in papyro anni vicesimi primi (184), neque in antiquiore quadam, id est anni octavi (197), neque in titulo

(1) Théocr., *Idyll.*, XV, v. 47, et *Schol.*, XVII, v. 16, et *Schol.* Cf. *Schol.* ad v. 125. *Papyr. Lugud. Batav.*, 378 et 379. *Revue égypt.*, 1880, p. 16 et 125. *Papyr. Paris.*, 2443 (XII, 8).

(2) *Papyr. Brit. Mus.*, *Revue égypt.*, 1880, p. 135.

(3) *Papyr. Mus. Brit. Rev. égypt.*, 1880, p. 20. *Papyr. Bolon. Revue égypt.*, 1883, p. 2.

(4) *Papyr. Berol.*, 159 et 114. *Nouvelle Chrestomathie démot.*, p. 66.

(5) *Papyro Mus. Brit. inedita.* Lepsius, *Uber einige ergebnisse*, p 42. Nullam ea antiquiorem noverat Lepsius.

Rosettano, apparere (1). Adest vero iterum in papyro anni vicesimi tertii (182) (2).

Regnante Ptolemaeo sexto Philometore, novus creatus est sacerdos. Legimus enim in papyris annorum quinti et sexti hujus regis (159 et 158), post nomen sacerdotis Soteris et Epiphanis, alterius sacerdotis nomen cujus proprium est Philometori et matris ejus Cleopatrae sacrificare (3). Mutatus est etiam ante vicesimum octavum ejusdem regni annum (154) sacerdotiorum ordo. Nam pro uno Soteris et Epiphanis flamine reperimus singulorum regum sacerdotes singulos, scilicet : primum Soteris, secundum Philometoris, tertium Philadelphi, quartum Evergetae, quintum Philopatoris, sextum Eupatoris, septimum denique Epiphanis Eucharisti (4). Anno tricesimo primo (151) inter sacerdotem Philopatoris et sacerdotem Epiphanis additur sacerdos Eupatoris (5).

Regnante vicesimum nonum annum Ptolemaeo octavo Evergeta II (141), post flaminem Soteris nominantur sacerdotes Evergetae, Philopatoris, Epiphanis Eucharisti et regis Ptolemaei (6). Desunt Philometoris et Eupatoris flamines. Anno sequenti, nominantur sacerdotes Soteris,

(1) *Papyr. Paris.*, 3266 (XII, 16). *Revue égypt.*, 1880, p. 129. *Ibid.*, p. 124, nota.

(2) *Papyro Berol.*, I a, *b*. Lepsius, *Uber einige ergebnisse*, p. 42.

(3) *Papyr. Berol.*, 111 a, *b* ; 111 *c*, *d*. *Nouv. Chrest. dém.*, p. 136. Lepsius, *Uber einige ergebnisse*, p. 42. In papyro anni undecimi pro verbis *Cleopatrae regis matris* legit Revillout : *Cleopatrae regis sororis*. *Revue égypt.*, 1880, p. 93.

(4) *Papyr. Brit. Mus.* Lepsius, *Uber einige ergebnisse*, p. 43.

(5) *Papyr. Berol.*, 97 a. *Nouv. Chrest. dém.*, p. 47.

(6) *Papyr. Berol.* (In Hermiae causa). *Revue égypt.*, 1883, p. 15. *Papyr. Berol.*, 5. Lepsius, *Uber einige ergebnisse*, p. 44.

Evergetae II, Philadelphi, Philopatoris Evergetae, Eucharisti, Philometoris et Eupatoris (1).

Ex his variis documentis constat : 1° nomina quaedam non desse nisi scribae culpa, cum sequentibus annis rursus appareant (2) ;

2° nunquam reges plurali numero designari et proinde Ptolemaide reginas maritorum suorum honoribus non sociari ;

3° sacerdotem regis viventis secundum locum tenere, id est statim post Soteris flaminem poni, ex quo divinum nomen rex quisque accepit ;

4° Ptolemaidis sacerdotes in actorum prooemiis non ante nominari quam Soteris nomen aliis diis qui Alexandriae colebantur suo loco adjunctus fuit, id est primo post Alexandrum.

A Ptolemaeo octavo dantur tantum nomina sacerdotum Alexandrinorum et additur : Secundum eos qui sunt Racoti (id est Alexandriae) et Psoi (id est Ptolemaide), in regione Thebarum (3).

(1) *Papyr. Berol.*, 90 et 91. *Nouv. Chrest. dém.*, p. 34.

(2) Perperam igitur ait Lepsius post vicesimum nonum annum Ptolemaei VIII, Evergetae II, non amplius adesse sacerdotem Philometoris. *Uber einige ergebnisse*, p. 44.

(3) *Papyr. Berol.*, 6 *a*, *b*. Lepsius, *l. l.*, p. 44. *Papyr. Taur.*, 174, 23. *Nouv. Chrest. dém.*, p. 104. *Papyr. Viennensis*, 26. *Nouv. Chrest. dém.*, p. 88. *Papyr. Berol.*, 101 *b*; *ibid.*, p. 60, et *Papyr. Berol.*, 104; cf. p. 22. — Attamen in *Papyro Lugud. Batav. Graeca*, nominatur Ptolemaidis sacerdos adjuncto Soteris nomine. Leemans, *Papyr. Graec.*, p. 68. Datur iterum postea generalis formula. Leemans, *Papyr. Graec.*, p. 77. Aliquando de sacerdotibus Alexandrinis tantum loquuntur papyri. *Papyr. Paris.*, in Bibliotheca nationali servata, 224. *Rev. égypt.*, 1881-1882, p. 92. *Papyr. Paris.*, 3268 (XII, 24). *Revue égypt.*, 1881-1882, p. 91. Leemans, *Papyr. Lugud.*, II, CXCIII, CXCIV.

Sacerdotes Ptolemaidis ut Sacerdotes Alexandrini et nobilitate generis et praestantissimis in regno honoribus insignes fuerunt. Monet enim nos titulus Hippalum flaminem fuisse τῶν πρώτων φίλων et ἐπιστρατηγόν. Hic titulus sic legitur (1) :

βασιλεῖ Πτολεμαίῳ θεῷ
Φιλομήτορι, ὑπὲρ Ἱππάλου,
τῶν πρώτων φίλων, τοῦ
ἐπιστρατηγοῦ καὶ ἱερέως
Πτολεμαίου Σωτῆρος καὶ
Πτολεμαίου Ἐπιφάνους καὶ
Εὐχαρίστου, τὸν βωμὸν Νικομάχος,
ἱερεὺς τοῦ Διός.

Ut modo notavimus Thebis et Memphi, et Philis nomina sacerdotum qui simul Ammonem et Phtha et Isidem et Ptolemaeos venerabantur, omnia Aegyptia esse, ita et hic notandum est flaminum qui, Alexandriae et Ptolemaide, Alexandri et Ptolemaeorum sacris praeerant, omnia esse Graeca. Nos ergo, nostro jure diximus duplicem Ptolemaeorum fuisse religionem, Graecam scilicet et Aegyptiam. Animadvertendum etiam est Ptolemaeos, cum, non Aegyptiorum, sed Graecorum sacerdotum nomina contractibus, etiam inter privatos actis, inscribi jusserint, eo ipso praecipuum illis locum dedisse.

Hac commemoratione flaminum ad populi memoriam semper revocabatur regia divinitas. Cujus ne oblivisce-

(1) *B. C. H.*, 1885, p. 141. *Revue égypt.*, 1885, p. 123. Hippalus fuit sacerdos annis tertio, undecimo et vicesimo tertio Philometoris. Cf. *B. C. H.*, p. 141. In papyris illius nomen commemoratur. *Chrest. Démot.*, p. 375. *Nouv. Chrest. Démot.*, p. 68 et 135.

retur vocabantur etiam sacra quaecumque regis erant. Ita, ut exemplum unum afferam, sacra dicebantur quae solvenda erant regi tributa (1).

Jurabatur etiam per reges ut per alios deos (2). Ita quidam vilicus regius (παστοφόρος) jurat per Regem Ptolemaeum et reginam Cleopatram Deos Evergetas, Deos Soteres, Deos Adelphos, Deos Evergetas, Deos Philopatores, Deos Epiphanes, Deum Philometorem, Deum Eupatorem, Deos Evergetas, Isidem Osirimque et omnes deos se terram, quam accepit, a dicto ad dictum tempus araturum, tributum soluturum, daturumque frumentum, quod vocatur frumentum jurisjurandi (3). Simili formula usos publicanos novimus ut promitterent fore ut officio suo optime fungerentur.

Hoc modo regia divinitas quasi totius regni vinculum erat quo strictius Ptolemaeis Aegyptus alligaretur.

III. — *De divinis honoribus quos reginae acceperunt.*

Quemadmodum reges sibi Deorum veterum ita et reginae dearum nomina aliquando sumpserunt. Arsinoe vocata est nova Venus, et eo cognomine in templo Zephirio honorata est (4), et Cleopatra ultima nova Isis, seu θεὰ νεωτέρα, est appellata (5).

(1) *Papyr. Taurin.*, 4 et 8.

(2) *Papyr. Paris.*, 62. *Papyr. Berol.*, 1. Cf. Revillout, *Revue égypt.*, 1880, p. 117, et 1883, p. 136. *Papyr. Paris.*, 63. Cf. Lumbroso, *Economie politique*, p. 91.

(3) *Revue égypt.*, *ibid. Papyr. Berol.*, 80. *Chrestom. démot.*, p. 148.

(4) Athenaeus, *Deipnos.*, VII, 106, p. 318 *b*. Strabo, XVIII, 1, 16. Plinius, *H. N.*, XXXIV, 14. *Revue archéol.*, 1869, p. 268.

(5) Plutarch., *Anton.*, 59. Dio Cass., L. 4, 5. Cf. Feuardent, *Numismat. de*

Cum tamen non magni momenti fuerint istae appellationes, immo potius adulationis mera blandimenta vel superbiae pueriles nugae, statim veniamus ad honores in quibus reginae maritis suis fuerint sociatae.

Philadelphum cum patrem Soterem inter Deos rettulit, matrem Berenicen simul consecravisse, et utrique templa aedificavisse, testis est Theocritus cum ait (1) :

.... τύ μὲν ἀθανάταν ἀπὸ θνητᾶς
Ἀνθρώπων, ὡς μῦθος, ἐποίησας Βερενίκαν,

et, in alio carminum loco (2),

Ματρὶ φίλᾳ καί πατρὶ θυώδεας εἵσατο ναούς.

Exemplum Philadelphi secuti sunt qui post eum in Aegypto regnaverunt. Non mirum igitur si in papyris titulisque reges plurali numero nominatur Philadelphi, Evergetae, etc. Cum appellatur rex singulari numero Eupator, etc., appellationis causa est vel regem nondum nupsisse, vel illius successorem, ob suum in matrem odium, eam debitis honoribus privari voluisse.

Quemadmodum ergo in templis Aegyptiis Ptolemaei deorum sunt θεοὶ σύνναοι, sic habentur σύνναοι et reginae. In ea etiam religione, quam Graecam nominavimus, Alexandriani flamines sacra reginis et regibus simul offerebant. Diximus tamen Ptolemaide aliter rem se ges-

l'Egypte, p. 135 et 445. In gemmis apparet etiam Berenice, Ptolemaei III Evergetae I uxor quasi nova Isis. Chabouillet, *Catalogue génér. des camées*, n. 160, 161.

(1) Theocr., *Idyll.*, XV, v. 106-107.

(2) *Ibid.*, XVII, v, 123. Cf. *Schol.*, ad v. 121 et 125.

sisse. Nullum enim invenimus hic flaminem qui reginam et regem simul coluerit, nisi quemdam, sub Ptolemaeo sexto, flaminem Philometoris et Cleopatrae ejus matris (1). Qui quidem non diu mansit, cum ante vicesimum ejusdem regis annum (144) jam esse desierit (2).

Praeter hos honores sibi cum regibus communes, quosdam proprios reginae acceperunt, de quibus nunc loquamur.

In decreto Canopeo sacerdotes rogant regem ut filia ejus Berenice, quae postquam regiam dignitatem acceperat, mortua erat, finito solemnis luctus tempore, dea consecretur, societurque deo Osiri in templo Canopeo (3). Peractis itaque consecrationis ritibus, censuere idem sacerdotes aeternos honores Berenicei, Deorum Evergetarum filiae, in omnibus Aegypti templis tribui (4). Decreti verba haec sunt :

» Cum Berenice in mense Tybi, ea ipsa die ad deos ierit qua filia Solis mortua est (5), fiatque in honorem hujus pompa in plerisque templis ubi consecrata est, eodem modo in omnibus Aegypti templis dies festus et pompa celebrabuntur per quattuor dies a decima septima die

(1) Vide supra, p. 66.

(2) Cf. supra, p. 66. *Revue égypt.*, 1883, p. 15. *Papyr. Berol.*, 91. *Nouv. Chrest. démot.*, p. 32.

(3) L. 38-41 : καθιδρῦσαι τὴν θεὰν μετὰ τοῦ Ὀσίριος [ἐν τῷ] ἐν Κανώπῳ ἱερῷ.

(4) L. 44-45 : δεδόχθαι συντελεῖν τῇ ἐκ τῶν Εὐεργετῶν θεῶν γεγενημένῃ βασιλίσσῃ Βερενίκῃ τιμὰς ἀϊδίους ἐν ἅπασι τοῖς κατὰ τὴν χώραν ἱεροῖς.

(5) Cui fabulae alludant sacerdotes nescimus. Scimus tamen eo die fuisse panegyrim in honorem Tefnut filiae Ra. Cf. Lepsius, *Das decret.*, p. 16. Pierret, *Etudes égyptol.*, 2e part., p. 141. W. N. Groff, *Rev. égypt.*, 1888, p. 17.

in qua nuper facta est in Berenices honorem illa pompa quae graece dicitur περιπλοῦς (1).

» Reginae statua in sacrario ponetur aurea, gemmisque decorata, quam ornabit sacerdos die quo ornari solent deorum signa, totiesque portabit quoties pompa et περιπλοῦς aliorum deorum erit, ut omnibus appareat quanta veneratione digna sit Berenice, virginum regina (2).

» Huic statuae imponetur corona hujus dissimilis quam gerunt statuae matris Berenices. Erit illa corona spicis duabus conserta, inter quas erit Uraeus, et pone eam erit sceptrum papyreum simile ei quod deae gerunt et in quo involvitur cauda Uraei (3).

» Virgines et sacerdotum uxores aliam statuam conficient prope quam, festis diebus, sacrificia et alia assueta peragent (4). Reginam laudabunt virgines sacrae, capi-

(1) L. 45-49 : καὶ [ἐπεὶ εἰς θεοὺς μετῆλθεν] ἐν τῷ Τυβὶ μηνὶ, συντελεῖν καὶ [βασιλίσσῃ Βερενίκῃ τῇ] ἐκ τῶν Εὐεργετῶν θεῶν ἐν ἅπασι τοῖς κατὰ τὴν χώραν ἱεροῖς, ἐν τῷ Τυβὶ μηνὶ, ἑορτὴν καὶ περίπλουν ἐπὶ ἡμέρας τέσσαρας ἀπὸ ἑπτακαι-[δεκάτης ἐν ᾗ ὁ περίπλους] καὶ ἡ τοῦ πένθους ἀπόλυσις ἐγενήθη αὐτῇ τὴν ἀρχήν.

(2) L. 49-51 : συντελέσαι δ'αὐτῆς καὶ ἱερὸν ἄγαλμα χρυσοῦν διάλιθον ἐν ἑκάστῳ τῶν πρώτων καὶ [δευτέρων ἱερῶν, καὶ καθιδρῦσαι ἐν τῷ ἁγίῳ, ὃ ὁ προφήτης, ἢ τῶν εἰς τὸ ἄδυτον εἰρημένων ἱερέων, πρὸς τὸ στολισμὸν τῶν θεῶν οἴσει ἐν ταῖς ἀγκ[άλαις, ὅταν αἱ [ἐξοδεῖαι καὶ πανηγύρεις] τῶν λοιπῶν θεῶν γίνωνται, ὅπως ὑπὸ πάντων ὁρώμενον τιμᾶται καὶ προσκυνῆται, καλούμενον Βερενίκης ἀνάσσης παρθένων.

(3) L. 51-54 : εἶναι δὲ τὴ[ν ἐπιτιθειμένην βασιλείαν] εἰκόνι αὐτῆς διαφέρουσαν τῆς ἐπιτιθεμένης ταῖς εἰκόσιν τῆς μητρὸς αὐτῆς βασιλίσσης Βερενίκης, ἐκ σταχύων δύο, ὧν ἀνὰ μέσον ἔσται ἡ ἀσπ[ιδοειδὴς βασιλεία, ταύτης] δ' ὀπίσω σύμμετρον σκῆπτρον παπυροειδὲς, ὃ εἰώθασιν αἱ θεαὶ ἔχειν ἐν ταῖς χερσὶν, περὶ ὃ καὶ ἡ οὐρὰ τῆς βασιλείας ἔσται περιειλημένη. κ. τ. λ.

(4) L. 55 : [κατασκευάσαι τὰς] παρθένους τῶν ἱερέων ἄλλο ἄγαλμα Βερενίκης ἀνάσσης παρθένων, ᾧ συντελέσουσιν ὁμοίως θυσίαν καὶ τἄλλα τὰ συντελούμενα νόμιμα τῇ ἑορτῇ [ταύτῃ].

tibus gerentes coronas, quae propriae sunt deorum quorum cultui addicuntur. Tempore messis offerent eaedem virgines novas spicas, quae ante Deae statuam ponentur. In hujus etiam laudem cantabuntur, quotiescumque erunt festi dies et quae graece dicuntur πανηγύρεις, a cantatoribus et a cantatricibus ὕμνοι, id est carmina quae scripserint scribae sacrarum litterarum docti, dederintque magistri cantus (1).

» Denique ut memoria reginae in aeternum servetur, dabitur sacerdotum filiabus panis quidam peculiaris, qui signo proprio notabitur vocabiturque *Bereniceus panis* (2). »

Praeter illos honores quos reginis tribuerunt Aegyptii sacerdotes, propria etiam earum flamonia a Ptolemaeis fuerunt instituta. Prima, annorum ordine, apparet Arsinoes Philadelphae κανηφορία, scilicet ante decimum nonum Philadelphi annum (266) (3). Eodem fere tempore ille rex templum Arsinoe aedificavit cujus architectus fuit

(1) L. 56 : ὑμνεῖσθαι δ'αὐτὴν καὶ ὑπὸ τῶν ἐπιλεγομένων ἱερῶν παρ[θένων καὶ τὰς χρείας] παρεχομένων τοῖς θεοῖς, περικειμένων τὰς ἰδίας βασιλείας τῶν θεῶν ὧν ἱέρειαι νομίζονται εἶναι, καὶ ὅταν ὁ πρώιμος σπόρος παραστῇ ἀναφέρε[ιν τὰς ἱερὰς παρθένους [στάχυς τοὺς παρατεθησομένους τῷ ἀγάλματι τῆς θεοῦ · ᾄδειν δ'εἰς αὐτὴν καθ' ἡμέραν καὶ ἐν ταῖς ἑορταῖς καὶ πανηγύρεσιν τῶν λοιπῶν θεῶν [τούς τε ᾠδοὺς ἄνδρας] καὶ τὰς γυναῖκας οὓς ἂν ὕμνους οἱ ἱερογραμματεῖς γράψαντες δῶσιν τῷ ᾠδοδιδασκάλῳ, ὧν ταὶ τὰ ἀντίγραψα καταχωρισθήσεται ἐπὶ τὰς ἱερ[ὰς βύβλους].

(2) L. 60 : δίδοσθαι ταῖς θυγατράσιν τῶν ἱερέων ἐκ τῶν ἱερῶν προσόδων .... τρόφην .... καὶ τὸ διδόμενον ἄρτον τα[ῖς γυναιξὶν τῶν ἱερέων ἔχειν ἴδιον τύπον, καὶ καλεῖσθαι Βερενίκης ἄρτον.

(3) *Papyr. Paris.*, 2424 (XII, 38). Ait etiam Scholiastes ad Theocritum (*Idyl.*, VII, 121) Philadelphum templa aedificavisse in honorem sororum suarum Arsinoes et Philoteras.

Dinocrates (1). Utrum in hoc templo munus suum κανηφόρος exercuerit, an tantum in solemnibus pompis, ignoramus.

Anno duodecimo (210) Philopatoris, aliud sacerdotium institutum est, cujus nomen fuit Berenices ἀθλοφορία (2).

Fama fuit Berenicen reginam a Philopatore fuisse occisam. Cumque animadverterat Letronne ἀθλοφορίαν in papyris annorum tertii et septimi hujus regis (220 et 216) non nominari, censuit vir doctissimus regem jure de morte Berenices, et postea uxoris suae Arsinoes, accusatum, matri divinos honores negavisse (3). Impietatis et parricidii crimen diluere tentat Zenobius, qui postquam affirmavit reginam sponte sua venenum sumpsisse ut custodiae taedia vitaret, addit : καὶ ἐπὶ τῶν αἰγιαλῶν δὲ ἱερὸν αὐτῇ ἱδρύσαντο ὃ ἐκάλουν Βερενίκης Σωζούσης (4). Nemo certe audebit ex eo quod Philopatoris matri templum aedificatum fuerit concludere regem omnino ab occisionis culpa abesse. Nobis satis est si constet Berenicen a Philopatore inter Deas esse relatam, et errare doctissimum virum Letronne cum asserit hujus reginae cultum ab Epiphane fuisse institutum. Erroris unica causa fuit quod ἀθλοφόρον primam in lapide Rosettano ille repererat. Nos vero hujus sacerdotii mentionem etiam inveni-

(1) Plin., *H. N.*, XXXIV, 42. Cf. *Revue égypt.*, 1880, p. 15. Lepsius, *Uber einige ergebnisse*, p. 31. Perperam ait canephoriam regnante Evergeta institutam fuisse.

(2) *Papyrus Berol.* Lepsius, *Uber einige ergebnisse*, p. 32. Significatio verbi ἀθλοφόρος est valde incerta. Letronne, *Insc. d'Egypte*, I, p. 258.

(3) Letronne, *Œuvres*, edit. Fagnan, II, p. 279. Polyb., V, 36, 1.

(4) *Paroemiographi Graeci*, edit. Gaisford, III, 94, p. 301.

mus in papyris Philopatoris nomine inscriptis, annis scilicet duodecimo (1), decimo quinto (2) et vicesimo tertio (3) (210, 207 et 199).

Regnante eodem Philopatore vicesimum tertium annum, tertium flamonium institutum est in honorem Arsinoes Philopatoris (4). Quae illo sacerdotio fungebatur vocabatur ἱερεία.

Praeter has sacerdotes creatae sunt etiam, regnante Ptolemaeo sexto Philometore annum vicesimum nonum, (193) ἱερεία Deae Cleopatrae, deae Evergetae, Philometoris, Soteris, στεφανοφόρος, [σκηπτροφό]ρος que ejusdem Deae quae vocatur etiam Aeropolis, Magna Isis, mater divina, domina Chopes (5). Sed ex ipsis nominibus quae Cleopatrae tribuuntur manifestum est illius cultum Aegyptium potius esse quam Graecum.

Haec sacerdotia posterioribus annis non apparent, remanent tantum tria de quibus supra locuti sumus.

De his animadvertere licet :

1° nomina flaminicarum, id est ἀθλοφόρου, κανηφόρου et

(1) *Papyr. Berol.* Lepsius, *Uber einige Ergebnisse*, p. 32.

(2) *Papyr. Brit. Mus.*, *Revue égypt.*, 1883, p. 2.

(3) *Papyr. Berol.*, 159 et 114. *Nouv. Chrest. dém.*, p. 66. Addit etiam Revillout ἀθλοφόρον ab anno octavo Philopatoris exstare, nescio quo documento nixus. *Chrest. dém.*, p. LXXXVIII. *Revue archéol.*, 1887, II, p. 329. Abest enim ἀθλοφόρος in papyro hujus anni (*Revue égypt.*, 1880, p. 135) et in altera anni duodecimi (*Papyr. Bolon.*, *Revue égypt.*, 1883, p. 2). Sacerdotem Arsinoes Philopatoris ab anno Epiphanis octavo tantum exstitisse credebat Lepsius, *Uber einige Ergebnisse*, p. 33.

(4) *Papyr. Berol.*, 159 et 114. *Nouv. Chrest. dém.*, p. 66. Cf. sequentibus annis. *Revue égypt.*, 1880, p. 124, nota, et 129. *Papyr. Lug. Batav.*, 378. *Nouv. Chrest. dém.*, p. 114.

(5) *Papyr. Vaticana* et *Papyr.* quae servatur *Novi Eboraci. Rev. égypt.*, 1883, 25 et 26.

ἱερείας nominibus sacerdoti Alexandrini in actorum prooemiis jungi ;

2° sacerdotes has nunquam dici θεᾶς Ἀρσινόης vel θεᾶς βερενίκης, sed simpliciter Ἀρσινόης vel βερενίκης cognomenque θεάν reginis tantummodo dari quando maritis suis sociantur.

Postquam tria sacerdotia instituta sunt et simul in papyris vel in titulis annumerata sunt, inter ea nullus apparet ordo ex temporum ratione desumptus. Etenim Βερενίκης ἀθλοφόρος semper ante κανηφόρον Ἀρσινόης Φιλαδέλφου nominatur.

Doctissimus vir Letronne, qui hunc ordinem jam notaverat, censuit Epiphanem ob suam erga matrem pietatem ei principem locum dedisse, perperam quidem, ut supra diximus (1), nam hic ordo ab annis regis Philopatoris servatur. Non magis dici potest ordinem esse dignitatis. Etenim eadem Aria, filia Diogenis, quae, anno Epiphanis octavo, est Βερενίκης ἀθλοφόρος (2), anno sequenti est κανηφόρος Ἀρσινόης Φιλαδέλφου (3).

Assentiendum potius puto Lepsio dicenti Philopatorem principem Berenicei locum dedisse quod matrem eam verebatur, dum Arsinoe tantum patris socrus erat.

Ἀθλοφορίαν et κανηφορίαν annua fuisse sacerdotia constat. Dubitavit vero Champollion num idem fuerit de sacerdotio quod dicitur ἱερωσύνη Ἀρσινόης Φιλοπάτορος. Duobus enim in papyris quae sunt annorum octavi et vicesimi

(1) Vide supra, p. 74.
(2) *Revue égypt.*, 1880, p. 124, nota.
(3) In lapide Rosettano.

primi regis Ptolemaei quinti Epiphanis (197 et 184) (1), et in titulo Rosettano, qui anni noni ejusdem regis est, invenitur nomen ejusdem ἱερείας, Irenes scilicet, filiae Ptolemaei. Inde probari putat vir doctissimus sacerdotium Arsinoes Philopatoris fuisse perpetuum vel saltem in diuturnum tempus datum, id est dum sacerdos nuberet (2). His titulis addendus est alius nuper apud Damanhour repertus, in quo quartum legitur ejusdem sacerdotis nomen, anno scilicet Epiphanis vicesimo quarto (181) (3). Nos etiam inde argumentum ducimus quo credamus Irenem fuisse vel quartum vel in perpetuum flaminicam. Nempe nec verisimile est Irenem infantulam sacerdotem fuisse creatam, nec, si sacerdotium puella obtinuit, tam sero nupsisse, ut pote Aegyptiam.

Ut Alexandriae, sic Ptolemaide exstitere quaedam peculiaria reginarum sacerdotia quae iisdem nominibus designabantur. Anno vicesimo tertio Ptolemaei quinti Epiphanis (211), apparet in papyris κανηφορία Ἀρσινόης Φιλαδέλφου (4). Regnante Ptolemaeo sexto Philometore sextum annum (176), sacerdos alius Ptolemaei et Cleopatrae matris sacris praefuit (5), dum tertius sacerdos eumdem Ptolemaeum simulque Cleopatram ejus sororem proprios sibi deos habebat, quartusque Cleopatrae regi-

(1) *Revue égypt.*, 1880, p. 124 nota, et p. 129.

(2) Letronne, *Œuvres*, edit. Fagnan, II, p. 277. *Insc. de l'Egypt.*, I, p. 260.

(3) *Recueil de travaux relatifs à la philolog. et à l'archéol. assyr. et égypt.*, 1885, p. 14.

(4) *Papyr Berol.*, 159 et 114. *Nouv. Chrest. dém.*, p. 68. Cf. *Papyr. Berol.*, 97 a et *b. Ibid.*, p. 47 et 54.

(5) *Papyr. Berol.*, 111 *a*, *b*, *c*, *d*. *Nouv. Chrest. dém.*, p. 136.

nae sacrificabat (1). Haec duo ultima sacerdotia in papyris anni tricesimi unius (151) (2) iterum adsunt. Non diu tamen manserunt hi sacerdotes quos viros fuisse cernimus. Anno enim vicesimo nono Ptolemaei octavi Evergetae (138), mentio tantum fit de mulieribus, quarum una est sacerdos Cleopatrae matris, deae Epiphanis, altera κανηφόρος Ἀρσινόης Φιλαδέλφου (3). Anno sequenti tres nominantur mulieres : flaminica Cleopatrae regis uxoris, flaminica Cleopatrae matris deae Epiphanis et κανηφόρος Ἀρσινόης Φιλαδέλφου (4).

Ab hoc anno, nihil in contractibus unquam legitur nisi generalis formula de qua supra locuti sumus : ἐφ' ἱερέων καὶ ἱερείων καὶ κανηφόρου τῶν ὄντων καὶ οὐσῶν (5).

IV. — *De divinis honoribus quos Ptolemaei acceperunt extra Aegyptum.*

Extra Aegyptum non semel Ptolemaei dii habiti sunt. Insignis fuit in Soterem Rhodiorum pietas, qui, cum ab eo auxilium contra Demetrium Poliorcetem acceperant, ab Ammone quaesiverunt num Ptolemaeo templum aedificare liceret ut Deo. Annuente oracullo, τέμενος construxerunt quadratum ornatumque stadiis, quod vocaverunt Πτολεμαῖον (6).

(1) *Revue égypt.*, 1880, p. 93.
(2) *Papyr. Berol.*, 97 a. *Nouv. Chrest. dém.*, p. 47.
(3) In causa Hermiae, *Revue égypt.*, 1883, p. 15.
(4) *Papyr. Berol.*, 90 et 91. *Nouv. Chrest. dém.*, p. 36.
(5) Lepsius, *Uber einige ergebnisse*, p. 36. Leemans, *Papyr. Graec.*, p. 68, etc.
(6) Diod. Sicul., XX, 100, 3.

Praecipue viguit cultus Ptolemaeorum in insulis quae eorum dicionis fuerunt. Etenim in insula Cypro qui appellantur ἀρχιερεῖς τῆς νήσου, vel ἀρχιερεῖς τῶν κατὰ τὴν νῆσον ἱερῶν (1) videntur fuisse Ptolemaeorum sacerdotes. Laudantur enim in titulis ob suam pietatem erga Deos Adelphos et Evergetas et Philopatores (2). Jure etiam nostro dicere possumus sacerdotium illud regnante Ptolemaeo Philadelpho fuisse institutum, nam deest semper nomen Soteris.

Non minor Cypriorum fuit quam Alexandrinorum sacerdotum dignitas, nominantur enim et Cyprii flamines συγγενεῖς et τροφεῖς τοῦ βασιλέως aut τῶν πρώτων φίλων (3). Inter eos plerique sunt στρατηγοί et ναυαρχοί (4), unus est ἐπὶ Σαλαμῖνος καὶ ἐπὶ τῆς κατὰ τὴν νῆσον γραμματείας τῶν πεζικῶν καὶ ἱππικῶν δυνάμεων (5).

Qui in eorum honorem titulos dedicaverunt, sunt vel sacerdotes aliorum deorum (6), vel etiam milites qui in insula merebant (7), vel varia Cilicum et Lyciorum et Ionum communia (8).

(1) *C. I. G.*, 2619, 2622. Waddington, *Insc. As. Min.*, 2781, 2787, 2796. *Journal of Hellenic Studies*, 1888, II, p. 225, 226, 228, 233, 235, 242, 250.

(2) *C. I. G.*, 2622. Waddington, *Insc. As. Min.*, 2757, 2781. *Journal of Hellenic Studies*, 1888, II, p. 228, 233, 238, 246, 252.

(3) Waddington, *Insc. As. Min.*, 2757, 2781, 2796. *Journal of H. Stud.*, *l. l.*, p. 225, 226, 228, etc.

(4) Waddington, *Insc. As. Min.*, 2757, 2781, 2796. *Journal of H. Stud.*, p. 225, 228, 233, 239, 242, 254.

(5) Waddington, *Insc. As. Min.*, 2757.

(6) *Journal of H. Stud*, *l. l.*, p. 251.

(7) *Journal of H. Stud.*, p. 232, 251.

(8) Waddington, *Insc. As. Min.*, 2796. *Journal of H. Stud.*, *l. l.*, p. 225, 228, 232, 235, 239, 242.

Praeter illud totius insulae sacerdotium, duo alia exstitisse novimus. Citii invenitur quidam ἱερεὺς τῶν θεῶν Εὐεργετῶν (1). Eadem in urbe fuit canephora Arsinoes. In Phoenicio enim titulo, apud Idalium reperto, legimus : « Die septima mensis hijar, anno trigesimo primo domini regum Ptolemaei, filii Ptolem[aei Philadelphi] qui (fuit) annus quinquagesimus septimus hominum Citiensium (2), canephora Arsinoes Philadelphi Ammatosiride, filia Mi[k...] filii Abdsasami, filii Gadeati, etc. (3). » Nomen canephorae interpretantur docti : « famulam Osiridis. » Etsi nominis paterni pars excidit, tamen certum est Phoeniciam feminam fuisse, nec canephoris Alexandrinis annumerandam. Citium ergo habuit suam Arsinoes canephoriam quae, ut Alexandrina canephoria, fuit ἐπώνυμος. Quo anno instituta fuerit Citiensis canephoria ignoramus.

Ex iis quae attulimus apparet pietate erga suam divinitatem usos fuisse Ptolemaeos ad insulam in officio facilius retinendam. Prudentior sane erat ea agendi ratio in regione cujus antea reges profitebantur se deos esse et diis genitos, ut legitur in regis Nicocreontis titulo qui seipsum laudat : θειοτάτων ἐκ προγόνων βασιλῆ (4).

Aliud Ptolemaeorum sacerdotium exstitisse Telmessi, in Lycia, conjecit Berard ex titulo in ea urbe reperto. Hi enim sunt tituli priores versus (5) :

(1) *C. I. G.*, 2621.

(2) 254. Ante Chr. nat.

(3) *Corp. Inscr. Semitic.*, I, 93.

(4) Lebas, II, 122. Hicks, *A Manual of Greek inscriptions*, p. 233. Cf. Droysen, *Histoire de l'hellénisme*, in Gall. transl., II, p. 337, 378; III, p. 48.

(5) *B. C. H.*, 1890, p. 162 et seq.

Βα]σιλεύοντος Πτολεμαίου τοῦ Πτολε
μα]ίου καὶ Ἀρσινόης θεῶν Ἀδελφῶν, ἔτους
ἑβδ]όμου, μηνὸς Δύστ(ρ)ου, ἐφ' ἱερέως Θεοδό
το]υ τοῦ Ἡρακλείδου, δευτέραι. κ. τ. λ.

Cujus dei sacerdos fuerit Theodotus non docemur, sed animadvertit Berard initium tituli idem esse ac titulorum Aegyptiorum fuit. Porro in his post nomen regis et post regni annum, mensem diemque (1), inseritur nomen sacerdotis Ptolemaeorum. Putat igitur Berard Theodotum Ptolemaeorum sacerdotem in Lycia fuisse. Ingeniosum quidem esse illud argumentum non diffiteor, ante tamen quam docti viri sententiae omnino adhaeream, mihi liceat exspectare donec novi tituli rem apertiorem fecerint.

Apud Delios etiam Lesbiosque, qui aliquandiu Ptolemaeorum imperio subjacuerunt (2), festa quaedam exstitisse tituli testantur quae regum nominibus vocata sunt Πτολεμαῖα, Φιλαδέλφεια et Εὐεργέσια (3). Πτολεμαῖα etiam celebravit τὸ Κοινὸν τῶν νησιωτῶν, forsitan in honorem Philadelphi (4). Cujus generis fuerint haec festa nobis non liquet, asserere tamen licet Ptolemaeos, in Delio templo, una cum Apolline et Diana et Latona quasi θεοὺς συννάους fuisse honoratos (5).

Quaedam etiam urbes quae numquam Ptolemaeorum

(1) Titulus est secundae diei mensis Dystri anni septimi regis Ptolemaei tertii Evergetae; id est 240-239 ante Christ. nat.

(2) *C. I. G.*, 5127 *a*, l. 6 et seq.

(3) *B. C. H.*, 1880, p. 435; 1882, p. 26, 36, 111 et 143. Homolle, *Les archives de l'intendance sacrée à Délos*, p. 59 et seq.

(4) *B. C. H.*, 1880, p. 324.

(5) Homolle, *Les archives*, p. 59, n. 2

potestati subjacuerunt, eos coluerunt. Nempe Halicarnassus Ptolemaeum quemdam, cujus cognomen deest, deo Apollini sociavit, et utrique porticum dedicavit (1), Athenisque celebrata sunt certamina Πτολεμαῖα (2), et tribus vocata est Πτολεμαίς, sive in honorem Evergetae sive in honorem Philadelphi (3).

V. — *De divinis honoribus quos Ptolemaei a privatis acceperunt.*

Ut publice a sacerdotibus sic et privatim a quoque Aegyptio vel Graeco Dii Ptolemaei honorabantur. Haec reges colendi licentia expressis verbis sacerdotum decreto concessa est, ut patet titulo Rosettano. « Licet, aiunt sacerdotes, cuique privato festum diem celebrare et aediculam habere in domo sua, dummodo ante illam legitimi ritus perficiantur, festis diebus qui quoque mense et quoque anno indicuntur (4). »

Qui enim regiam aediculam in domibus suis servabant, eo ipso sibi officium imponebant eam rite colendi. Iisdem condicionibus statuam Berenices honorandi licentia virginibus concessa est (5).

(1) Newton, *A History of Discoveries at Halicarnassus*, App. 3 a.

(2) *C. I. A.*, II, 167.

(3) Pausanias, I, 6, 8, 55. *C. I. A.*, II, 371. Cf. Gilbert, *Handbuch der Griech. Staatsalt.*, I, p. 190. S. Reinach, *Traité d'Epigr. grecque*, p. 502. *B. C. H.*, 1884, p. 6.

(4) L. 52 : ἐξεῖναι δὲ καὶ τοῖς ἄλλοις ἰδιώταις ἄγειν τὴν ἑορτὴν καὶ τὸν προειρημένον ναὸν ἱδρῦσθαι καὶ ἔχειν παρ' αὐτοῖς συντελοῦ[σι τὰ νόμιμα ἐν ἑορταῖς ταῖς τε κατὰ μῆνα καὶ] ταῖς κατ' ἐνιαυτόν.

(5) *Decr. Canop.*, l. 55 : [ἐξεῖναι δὲ] κατὰ ταὐτὰ καὶ ταῖς ἄλλαις παρθένοις ταῖς βουλομέναις συντελεῖν τὰ νόμιμα τῇ θεῷ.

Regum numinibus imprimis devotissimos fuisse milites nos docet titulus in urbe Ombo repertus, quem sic in integrum restituit Letronne (1) :

[βασιλεῖ Πτολεμαίῳ καὶ βασιλίσσῃ Κλεοπάτρᾳ τῇ ἀδέλφῃ καὶ βασιλίσ]σῃ Κλεοπάτρᾳ τῇ γυναι

[κὶ, θεοῖς Εὐεργέταις καὶ Φιλομήτορσιν καὶ Ἀροήρει τῷ καὶ Ἀπόλλωνι, θεῷ] μεγίστῳ καὶ τοῖς συννάοις

[θεοῖς τοῦτον τὸν βωμὸν καὶ. . . ἀνέθηκαν] αἱ πεζικαὶ καὶ ἱππικαὶ δυνάμεις κ. τ. λ.

Quaedam etiam artificum collegia, quae Dionysum quasi patronum suum verebantur, ejus cultum cum Ptolemaeorum cultu conjunxerunt. Vocantur enim hi artifices τεχνῖται οἱ περὶ τὸν Διόνυσον καὶ θεοὺς Ἀδελφούς (2), et honores viro cuidam decernunt amplissimos et propter alia merita καὶ ἕνεκα εὐσεβείας τῆς εἴς τε βασιλέα Πτολεμαῖον καὶ τὸν Διόνυσον καὶ τοὺς ἄλλους θεοὺς καὶ εὐνοίας τῆς εἰς τὸν βασιλέα καὶ τοὺς τούτου γονεῖς. In insula Cypro hi artifices sacerdotem proprium habent, cujus nomen est ἀρχιερεὺς τῆς πόλεως καὶ τῶν περὶ τὸν Διόνυσον καὶ θεοὺς Εὐεργέτας τεχνιτῶν. Quibus verbis intelligi debet sacerdotium scenicorum cum publico civitatis Paphi sacerdotio fuisse conjunctum, et forsan non artifici, sed viro aliis muneribus amplissimis functo, honoris causa, fuisse mandatum.

His addam collegium eorum qui dicuntur οἱ συνάγοντες ἐν Σήτει, τῇ τοῦ Διονύσου νήσῳ, βασιλισταί, qui consecrant pro salute Ptolemaei et reginae Cleopatrae ejus sororis, Deo-

(1) *Inscript. Egypt.*, I, p. 386.

(2) *C. I. G.*, 2620. *B. C. H.*, 1885, p. 183. Cf. Foucart, *De collegiis artificum apud Graecos*, c. 3 et 7.

rum Evergetarum, lapidem et pecuniam quam ad sacrificia libationesque certis diebus peragenda collegerant (1). Eorum enim nomen eodem modo formatum est quo vocabula Διονυσιασταί, ἐρανισταί, et, quod mox reperiemus, Ἀτταλισταί formata sunt. Non proprio nomine Πτολεμαισταί vocantur quia nemo dubitare poterat cujus regis nomen gererent. Cumque in Dionysi insula coeant, nullius in mentem non venit eos omnino similes fuisse his artificibus quos modo nominavi. Aliud collegium eodem fere nomine vocatum est Φιλοβασιλιστῶν (2).

Unius ex his collegiis sodalem fuisse credo Tryphonem illum cujus inscriptum nomen reperio Philis, in titulo qui sic legitur (3) :

Τρύφων, Διο(νύσ)ου τοῦ
[ν]έου κίναιδος ἥκω
παρὰ τὴν Ἶσιν τὴν [ἐν]
[Φίλαις καὶ τῷ Ἀβάτῳ].

Qui hic vocatur Διόνυσος ὁ νέος non alius videtur esse ac Ptolemaeus qui et Auletes. Novimus enim eum Dionysi mysteriis addictissimum fuisse et imprimis saltationes amavisse etiam minime majestate regia dignas.

Aliud etiam collegium, Philometoris nomine, dicitum est τῶν Φιλομητορείων (4). Sed de eo nihil novimus praeter nomen.

(1) Letronne, *Inscriptions de l'Egypte*, I, p. 390, l. 45.

(2) *Papyr. Paris*, 15 (In causa Hermiae). Cf. *Revue égypt.*, 1881, p. 127, n. 3.

(3) *C. I. G.*, 4926. Cf. Letronne, *Inscr. de l'Egypte*, II, p. 104.

(4) *C. I. G.*, 4678, et in *Papyr. Taurinea*, 13. *Revue égypt.*, 1881, p. 125.

Extra Aegyptum, piissimi erga tolemaeos fuerunt quidam Cyprii quorum in regione publica fuisse sacerdotia jam notavimus. In ea enim insula tituli nos docent Praxidemum quemdam altare Ἀθηνᾷ Σωτείρᾳ et Νίκῃ βασιλέως Πτολεμαίου, vel, ut ait Phoenicius titulus, *Anatae robori vitae et domino regum Ptolemaeo* consecravisse (1).

Alius quidam Cyprius, Osesander nomine, fuit ἱερεὺς διὰ βίου βασιλέως Πτολεμαί[ου θεοῦ Σ]ωτῆρος καὶ τοῦ ἱδρομένου ὑπ' αὐτοῦ ἱεροῦ Πτολεμαίου. Qui quidem erat συγγενὴς τοῦ βασιλέως et γραμματεὺς τῆς Παφίων πόλεως et postea factus est τεταγμένος [ἐπὶ τῆς ἐν Ἀ]λεξανδρείᾳ βιβλιοθήκης (2).

(1) Waddington, *Insc. As. Min.*, 2778. *Corp. Inscr. Semit.*, I, 95. Altare post victoriam quam de Antigono et Cypriis principibus rettulit Ptolemaeus Soter, anno 312, consecratum fuisse videtur.

(2) *Journal of Hell. Stud.*, 1888, II, p. 240.

CAPUT V.

DE DIVINIS HONORIBUS QUOS ACCEPERUNT SELEUCIDAE.

I. — *De divinis honoribus quos acceperunt reges Syriae.*

Ut Alexander se Ammone natum credi volebat, sic Seleucus, qui Syria post eum potitus est, aiebat se Apollinis esse filium. Fama enim vulgata est matrem Seleuci Laodicen ex Apollinis concubitu filium concepisse, gravidamque a deo accepisse annulum in cujus gemma ancora insculpta erat, postridie vero reginam reperisse annulum in lectulo, et puerum impressam femori ancoram gessisse, divinae originis notam, quam, post eum, nepotes etiam gesserunt (1). Hujus prodigii memoriam ut servarent, Syriae reges nummos suos ancora notaverunt (2). Quam ob causam Asiani Apollinem honora-

(1) Justin., XV, 4. Cf. Ausonii, *Ordo urbium nobilium*, XVIII, III (287, 10). Eckhel, *D. N.*, III, p. 212. Cf. nummum ex collectione ducis de Luynes depromptum. Duruy, *Hist. des Grecs*, III, p. 395.

(2) Eckhel, *ibid.* Percy Gardner, *The Seleucid Kings of Syria. Catal. of Greek Coins in the Brit. Mus.*, p. 4 et suiv. Demetrius, II, p. 61. Antiochus, VII, p. 75. Alexandre, II, p. 84. Müller, *Monnaies d'Alex.*, n^{i} 1355-1359 et 1491-1514. Head., *Hist. Num.*, p. 637.

verunt, regum suorum generis auctorem (ἀρχηγ[ὸν] τοῦ γένους) (1). Et si non tam multa novimus de Seleucidis quam de Ptolemaeis, nummis tamen et titulis docemur eos divinis cognominibus fuisse saepius designatos et rite a Syris cultos.

Primum de Seleucidarum divinis cognominibus loquamur.

Seleucus I cognomen adhibuit quo victoriis suis alluderet et vocatus est Nicator. Eo ipso se parem Jovi faciebat; solus enim etiam tum pater deorum hoc cognomen gesserat. Quod quidem ex titulo manifestius apparet in quo Seleucus vocatur Ζεὺς Νικάτωρ (2). Addas etiam nummos Jovis νικηφόρου figura regem notavisse (3).

Post eum regnavit Antiochus Soter, qui ita appellatus est, teste Appiano, quod Gallos, ex Europa in Asiam irruentes devicerat (4). At de Appiani dictis non sine jure dubitat Droysen (5). Etenim rarissimi sunt nummi in quibus hoc cognomen Antiochus habet. Immo in eis quos elephantis signavit, in memoriam devictorum Gallorum aut Indorum, nunquam legitur vox Soter (6). In duobus tantum adest id nomen, quorum alter regem jam senem ostendit (7). Censet igitur Droysen hos nummos

(1) *C. I. G.*, 3595, l. 26.

(2) *Ibid.*, 4458.

(3) Percy Gardner, *The Seleucid kings of Syria*, p. 2 et 106. Head., *Histor. num.*, p. 638.

(4) Appian. *Syriac.*, 65. Appianum sequitur Percy Gardner, *Introd.*, p. XIV.

(5) Droysen, *Hist. de l'hellénisme*, II, p. 251, n. 3.

(6) Percy Gardner, *l. l.*, p. 26. Head., *Histor. num.*, p. 638.

(7) Mionnet, *Suppl.*, VIII, p. 9, n. 48; p. 11, n. 56. Percy Gardner, *Introduction*, p. XIV et p. 10.

in urbibus quae sui juris erant fuisse fabricatos. In his enim Antiochus non rex habebatur sed tantummodo Soter. Suae mentis argumentum affert in his nummis non legi : ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ ; sed ΣΩΤΗΡΟΣ ΑΝΤΙΟΧΟΥ. Quod quidem non fortuita verborum transpositione evenisse nos docet titulus in quo legitur : Ἀντιόχου Βασιλέως καὶ Σωτῆρος, quasi duae dignitates annumerentur (1).

Ad doctissimi viri sententiam accedere non diffiteor dummodo anuerit nomini Soteri aliquid inesse quo rex qui illo insignitus est quodam modo diis aequetur. « Haec enim Soteris appellatio, ut ait Spanheim, a Jove Sotere desumpta est (quo nomine illum apud veteres cultum satis liquet, ac testes passim obvii) inde ad conservatores aut benefactores populorum civium adulatione aut metu passim translata (2). » Jam supra vidimus quo modo Athenienses Antigono et Demetrio ut Soteribus sacrificaverint, post redditam sibi, ut credebant, libertatem. Idem de Antiocho Sotere sentiendum. Quae quidem sententia titulis confirmatur in quibus Antiochus ab incolis urbis Seleuciae in Oronte vocatur Ἀπόλλων Σωτήρ (3) et a Smyrnaeis Θεὸς καὶ Σωτήρ (4).

Filius ejus Antiochus II Deus a Milesiis appellatus est, postquam civitatem a Timarcho tyranno liberave-

(1) *C. I. G.*, 3075.

(2) Spanheim, *De praestantia et usu num.*, ed. 1717, I, p. 416.

(3) *C. I. G.*, 4458.

(4) *Ibid.*, 3137, l. 100. In titulo qui repertus est Assi legimus [σω]τῆρα τοῦ δήμου. Hoc nomen putat Boeckh, nescio quo pacto, longe diversum fuisse ab eo quod Antiocho dederunt Asiani solemne et perpetuum. *C. I. G.*, 3595, l. 38.

rat (1). Mox a ceteris Ioniae urbibus, propter datam libertatem, eodem cognomine est honoratus (2). Non quidem ipse se in nummis Deum appellavit, imposuit tamen capiti sidus et radiatam coronam, quae divinitatis insignia jure habentur (3).

Antiochi Dei successores ad modestiorem agendi rationem redierunt. Seleucus enim secundus vocatus est Callinicos et frater ejus Antiochus Hierax. Haeres eorum Seleucus tertius Ceraunum sibi cognomen sumpsit quasi fulmen ut Jupiter iceret (4). Docet etiam nos idem titulus eum aliquando vocatum fuisse Soterem. Utrumque tamen cognomen a nummis abest. Perperam filium ejus Antiochum Magnum Deum appellat Josephus; nullum enim vestigium superest talis cognominis ab eo assumpti (5).

Antiochus vero quartus rursus Deus vocari voluit. Ostendunt pariter et corona radiata, et aquila fulmini insistens, quae in ejus nummis insculptae sunt, quanto ardore divinos honores sibi tribui cupierit. Primus ille verbum θεόν nummis suis inscribere ausus est. Saepius enim in eis legere licet : Β. Α. ΘΕΟΥ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ. Juxta verba figuratur imago Jovis dextera manu

(1) Appian., *Syriac.*, 65.

(2) Josephus, *Antiq. Judaic.*, XII, 3, 2 : τῆς πολιτείας ἣν αὐτοῖς ἔδωκεν Ἀντίοχος ὁ Σελεύκου υἱωνὸς, ὁ παρὰ τοῖς Ἕλλησι Θεὸς λεγόμενος. *C. I. G.*, 3137, l. 8 : τὸμ πατέρα αὐτοῦ Θεὸν Ἀντίοχον. Cf. Dion Chrys., *Orat.*, XXXVII, t. II, p. 103, ed. Reiske.

(3) Eckhel, *D. N.*, III, p. 214 et 217.

(4) *C. I. G.*, 4458.

(5) Josephus, *Ant. Jud.*, XIII, 7 (8), 1.

victoriam gerentis, et proinde confunduntur quasi in unum rex et pater Deorum (1).

Filius ejus Antiochus quintus qui tali patre natum se esse gaudebat, cognominatus est tamen modestius Eupator, et post eum Demetrius primus appellatus est Soter (2). His successit Alexander Baia, homo incertae originis, qui, ut fidem faceret omnibus suum patrem fuisse Antiochum quartum, nummis inscripsit : Β. Α. ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ (3).

Eodem modo nummis suis inscripserunt Demetrius secundus : Β. Δ. ΘΕΟΥ ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ, vel Β. Δ. ΘΕΟΥ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ (4) ; Demetrius tertius Β. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΘΕΟΥ ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ ΣΩΤΗΡΟΣ (5).

Quidam alii Syri reges Dionysi vocati sunt; inter quos fuerunt Antiochus sextus, qui et Epiphanes (6), et Antiochus duodecimus (7). Forsitan ob illud cognomen Josephus Epiphanem Deum appellet.

Jam notavimus Antiochum secundum in nummis capiti suo coronam radiatam imposuisse. Eadem corona

(1) Eckhel, *D. N.*, III, p. 224. Percy Gardner, *l. l.*, p. 34. Head., *Hist. num.*, p. 641.

(2) Eckhel, *Ibid.*, III, p. 226. Percy Gardner, *l. l.*, p. 45. Head., *Hist. num.*, p. 642.

(3) Eckhel, *ibid.*, III, p. 227. Percy Gardner, *l. l.*, p. 52. Mionnet, V, p. 48. *Suppl.*, VIII, p. 29. Head., *Hist. num.*, p. 643.

(4) Eckhel, *ibid.*, III, p. 229. P. Gardner, *l. l.*, p. 58. Mionnet, V, p. 58. *Suppl.*, VIII, p. 29. Head., *Hist. num.*, p. 643.

(5) Eckhel, *ibid.*, III, p. 245. Percy Gardner, *l. l.*, p. 101. Mionnet, V, p. 105. *Suppl.*, VIII, p. 29. Head., *Hist. num.*, p. 649.

(6) Eckhel, *D. N.*, III, p. 232. Percy Gardner, *l. l.*, p. 63. Mionnet, V, p. 68. Head., *Hist. num.*, p. 644.

(7) Eckhel, *ibid.*, p. 246. Percy Gardner, *l. l.*, p. 102. Mionnet, V, p. 106. Head., *Hist. num.*, p. 649.

insigniti sunt Antiochus sextus, Antiochus octavus, Alexander secundus, et Demetrius tertius (1). Hederam coronae addiderunt qui Dionyso cognomine utebantur. In plurimis aliis nummis videtur stella, divinitatis signum (2). Quidam etiam reges deorum habitum gerunt. Finguntur Antiochus quartus et Alexander primus Jovis instar (3), Antiochus sextus Dionysi (4).

Non vero divinis nominibus, divinoque habitu contenti sunt Seleucidae, sed voluerunt etiam aras sibi exstrui, sacerdotesque regiae divinitati sacrificia offerre. Legimus enim in titulo prope Ilium novum reperto, Seleuco cuidam aram aedificatam fuisse cui inscriptum est nomen regis (5). Prope aram, die duodecima mensis cujus nomen deest (6), celebrabantur regis natalicia sacrificiis et ludis. Cultus vero regis Apollinis (7), generis scilicet regii auctoris, et Minervae cultui sociabatur. Ad festum celebrandum concilium populi fiebat, curabantque οἱ ἱερόνομοι ut omnia rite perficerentur (8).

Alio titulo, qui Seleuciae prope Orontem repertus est,

(1) Eckhel, *ibid.*, p. 231 et seq. Percy Gardner, *l. l.*, p. 34. 63, 83, 90, 101.

(2) Percy Gardner, *l. l.* — Alexander I, p. 54. Demetrius II, p. 59. Trypho, p. 69. Antiochus VI, p. 73. Alexander II, p. 81-84. Cleopatra et Antiochus VI, p. 86. Antiochus IX, p. 93. Seleucus VI, p. 96. Antiochus XI, p. 99. Antiochus Hierax, p. 110. Cf. nummum Seleuci qui, ex collectione ducis de Luynes depromptus, nunc in Bibliotheca nationali servatur. Duruy, *Hist. des Grecs*, III, p. 395.

(3) P. Gardner, *l. l.*, p. 36 et 52.

(4) P. Gardner, *l. l.*, p. 66.

(5) *Archaelogische Zeitung*, 1875, p. 155, l. 3 : βωμὸν ..... ἐπιγράψαι βασιλέως Σε[λεύκου].

(6) L. 6 : ἐπιτελεῖν τῷ βασιλεῖ τῇ δοδεκάτῃ.

(7) L. 10 et 13-15.

(8) L. 20.

docemur duplicem cultum Seleucidis fuisse tributum, unum scilicet quo vivi, alterum quo mortui colebantur. Titulus hic duplici columna nomina sacerdotum profert qui Jovi Olympio, Jovi Coryphaeo, Apollini, regibusque, duobus annis continuis, quorum numeri desunt, sacra obtulerunt. Sic legitur tituli pars prior (1) :

ἔτους/////////
καὶ ἑκαστοστοῦ ·
ἱερεῖς,
Διὸς Ὀλυμπίου
καὶ Διὸς Κορυφαίου
Νικήρατος Νικηράτου,
Ἀπόλλωνος τοῦ ἐπὶ Δά[φν]ῃ
Καλλικλῆς Διογέν[ους,
Ἀπόλλωνος
Ζηνόβιος Ζήνωνος,
Σελεύκου Διὸς
Νικάτορος καὶ Ἀντιόχου
Ἀπόλλωνος Σωτῆρο[ς
καὶ Ἀντιόχου Θεοῦ
καὶ Σελεύκου
Καλλινίκου
καὶ Σελεύκου Σωτῆρος
καὶ Ἀντιόχου καὶ
Ἀντιόχου Μεγάλου
Δι]ογήν[η]ς Ἀρτέμωνος,
βασι]λέως Σελεύκου
Εὐ]κράτης Ἀναξίωνος,
σκηπ]τροφόρος
..... Δημητρίου.

Anno sequenti, Seleuci Jovis Nicatoris et Antiochi

(1) *C. I. G.*, 4458.

Apollinis Soteris et Antiochi Dei sacerdos est Aristias, filius Cleomenis; flamen vero Seleuci regis Numenius filius Numenii. Post σκηπτροφόρον Thoantem, filium Pythoclis, indicuntur etiam κεραυνοφόροι, quorum nominatur unus Zeno, Zozontis filius.

Quem titulum si attentius inspexeris, animadvertes unum eundemque sacerdotem omnibus mortuis regibus sacrificare, alterum vero regi viventi, qui solus nominatur βασιλεύς.

Confirmatur ea nostra sententia alio titulo quo Ilienses statuunt fore ut omnes sacerdotes et flaminicae Apollini, Seleucidarum generis auctori, Victoriae, Jovi et ceteris diis preces offerant cum sacerdote regis Antiochi (μετὰ τοῦ ἱερέως τοῦ βασιλέως Ἀντιόχου) (1).

Regum sacerdotes annuos fuisse ex ipsis prioris tituli verbis patet. Post eos nominantur inferiores ministri, quorum unus sceptrum regium, alii fulmen, Jovis et regis insigne ferebant.

Alius titulus, quem peritissime commentatus est P. Foucart, nos monet regem Antiochum primum Soterem Ioniae urbibus Deum fuisse sacratissimum (2). Et si tituli initium mutilatum est, versibus tamen qui supersunt novimus legatos Ionicarum urbium decrevisse natalicia regis Antiochi (τὴ[ν] ἡμέραν ἐν ᾗι βασιλεὺς Ἀντίοχος ἐγεννήθη) (3), deinceps quarta die mensis cujus nomen deest celebrari. Ut omnia secundum Antiochi bene placitum fierent, legati ad eum missi, rogaturi erant ut

(1) *C. I. G.*, 3595, l. 26. Agitur de Antiocho primo Sotere.
(2) *B. C. H.*, 1885, p. 387 et seq.
(3) *Ibid.*, l. 2.

ipse locum indicaret ubi templum consecraretur perageretur que pompa solemnis (1). Huc cum convenerint legati, qui ad celebrandum Alexandri festum ex singulis urbibus mittuntur, offerentur sacrificia regi Antiocho et reginae Stratonicei ut ceteris diis (2). Coronas legati et omnes qui in urbe tunc erunt capiti imponent (3). Aperient sacerdotes templa et sacra perficient, ut ea quae decreta sunt regibus Antiochis, patri scilicet et filio, simulque reginae Stratonicei prospere succedant (4). Designantur etiam victimae quae offerendae sunt, quae quidem adultae esse debent. Ut decreti memoria maneat statuitur fore ut illud lapidi insculptum prope altare in honorem regum erectum ponatur (5), aliaque hujus exemplaria a quaque urbe, in nobilissimo loco, erigantur.

Animadvertas velim in animo legatorum esse Antiochi cultum Alexandri cultui, jam pridem ab urbibus communiter celebrato, sociare. Eadem enim assistentibus distributio fit quae in Alexandri nataliciis fieri solet (6). Immo cum de Antiochi genere loquuntur, non

(1) L. 20 : ἀποφήνασθαι [τόπον οὗ ἂν κάλλιστον φ]αίνηται ἐν ᾧι τὸ τέμε[νος αὐτοῦ ἱδρύσωνται] καὶ ἡ πανήγυρις συντελε[σθῆι].

(2) L. 30 : τοὺς συνέδρους τοὺ[ς] παρόντας ἀπὸ τῶμ πόλεων [συ]ντελέσαι θυσίαν τοῖς θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις καὶ τοῖς β[α]σιλεῦσιν Ἀντιόχωι (καὶ Ἀντιόχωι) καὶ τῆι βασιλίσσηι Στρατονίκηι καὶ [θῦ]σαι ἱερεῖα τέλεια.

(3) L. 33 : καὶ στεφανηφορῆσαι τοὺς τε συνέδρο[υς] καὶ τοὺς ἄλλους τοὺς ἐν τῆι πόλει πάντας.

(4) L. 35 : ἀνοῖξαι δ[ὲ] τοὺς ἱερεῖς καὶ τὰς ἱερείας τὰ ἱερὰ καὶ ἐπιθύειν ἐπευχομ[έ]νους συνενεγκεῖν τὰ δεδογμένα τοῖς τε βασιλεῦσι... κ. τ. λ.

(5) L. 41 : παρά τὸμ βωμὸν τῶν βασιλέ[ω]ν. Vidimus supra unum sacerdotem omnibus mortuis regibus sacrificia offerre.

(6) L. 3 : δίδοσθαι δὲ τῶμ [παρόντων ἑκάστωι τοσοῦτον] ὅσον καὶ εἰς τὴν Ἀλε[ξάνδρου ἡμέραν γενεθλ]ίαν δίδοται.

patris Seleuci tantum, sed et avorum mentionem faciunt (τῶν προγόνων) (1) ne Alexandrum, regiae domus quasi auctorem, omittant. Jure igitur nostro dicimus Seleucidarum ut Ptolemaeorum cultum Alexandri cultu niti (2).

In honorem ejusdem regis Antiochi Soteris certamen gymnicum Tei institutum est (3).

Regnante Antiocho Deo, crevit adhuc Seleucidarum cultus. Tunc enim ubique instituti sunt provinciales regis sacerdotes (4). Ii sacerdotes quorum munus erat vivo regi sacrificia offerre, coronas aureas in capite gerebant (5), et inter regni principes numerabantur. Eos ipse rex eligebat, et eorum nomina contractibus inscribebantur cum aliorum sacerdotum nominibus (6).

Praeter cultum quem in Syria acceperunt, novimus Seleucidas in Graecis insulis, quae eorum dicionis erant fuisse pie honoratos. Narrat enim Athenaeus templum in insula Lemno Seleuco Soteri et filio ejus Antiocho fuisse aedificatum, et ibi apud incolas usitatum, post cenam, Seleuco Soteri, ut antea Jovi Soteri, libare (7).

(1) L. 19.

(2) Primi Seleucidae imaginem Alexandri numinis suis insculpunt; is enim honor diis reservatus erat. Cf. Percy Gardner, *l. l.*, p. 1 et 8. Tum primum reges caput suum insculpserunt quando ipsi dii facti sunt.

(3) Waddington, *Ins. As. Min.*, 87, l. 21 et seq. : ἐπιμεληθῆ[ναι τὸν ἀ]γωνοθέτην ἵνα ἀγορεύθῃ ἐν τῷ γυμνικῷ ἀγ[ῶνι τ]ῷ συντελουμένῳ ὑπὸ τοῦ δήμου βασιλεῖ Ἀντιό]χῳ Σωτῆρι.

(4) Titulum primo edidere. (*B. C. H.*, 1885, p. 324 et seq. et postea melius anno 1889, p. 523 et seq.) Paris et Holleaux. — L. 21 : [κρ]ίνομεν δὲ καθάπερ πρότερον [καθεστήκασιν κα]τὰ τὴν βασιλε[ί]α[ν ἡμῶν ἀρχ]ιερεῖς.

(5) L. 25 : φο[ρ]ήσουσιν στεφάνους χρυσοῦς ἔχοντας.....

(6) L. 26.

(7) Athenaeus, *Deinosoph.*, VI, 66, 255 a.

Suspicari etiam licet inter gentiles ritus, quos Judaeis imponere tentavit Antiochus Epiphanes, fuisse regis cultum. Legimus enim in libro secundo Macchabaeorum. Judaeis vim illatam fuisse ut regis natalicia, quoque mense, sacrificiis celebrarent. Narrat etiam qui hunc librum scripsit, eos, regis jussu, hedera coronatos Dionysi pompam duxisse (1). Quae quidem omnia ad Seleucidarum cultum referuntur. Scimus etiam Antiochum ad ea exigenda Ptolemaeorum consiliis adductum fuisse, quibus sui cultus maxima cura erat.

Confirmatur nostra sententia Samaritanorum litteris, qui cum Judaeis essent infensissimi, et in animo haberent eorum rebellionem Antiocho magis odiosam, seipsos vero acceptiores facere, regi scripserunt his verbis : Βασιλεῖ Ἀντιόχῳ Θεῷ Ἐπιφανεῖ (2).

II. — *De divinis honoribus quos acceperunt reginae Syriae.*

Reginae Syriae omnium, quos mariti acceperunt, honorum sociae factae sunt. Legimus enim in urbium Ionicarum decreto, quod supra rettulimus, reginam Stratonicem eodem modo venerandam dici quo Antiochus, quotiesque de offerendis sacrificiis agitur, toties nominatur regina cum rege et aliis diis.

(1) II *Macchabaeorum*, VI, 7. Aufert perperam vulgata translatio verba κατὰ μῆνα. Loquitur etiam S. Hieronymus de statuis Antiochi in templo positis. *In Daniel.*, XI, v. 31, pag. 716.

(2) Joseph., *Ant. Jud.*, XII, 57, 5. Regem etiam vocant Samaritani Εὐεργέτην καὶ Σωτῆρα.

Item cum rex Antiochus Deus flamines regios instituit, jussit etiam in omnibus provinciis esse regias flaminicas, quae reginae Laodicei sacrificarent (1). Eae flaminicae iisdem ornamentis insignes erant quibus flamines (2), et earum nomina cum regiorum sacerdotum nominibus contractibus inscribebantur (3). Rex ipse flaminicas eligebat, ut ex titulo apparet quo flaminum flaminicarumque institutionem novimus. Continet enim titulus ille exemplar regii edicti quo Berenice, filia Ptolemaei, eademque Lysimachi nepos, provinciae cujusdam, cujus nomen deest, flaminica nominatur. Anaximbroto, provinciae praesidi, mandatur ut curet regium edictum servari, in lapide insculpi, et in nobilissimo loco poni (4).

Non mirum igitur nobis erit si viderimus reginis templa ab urbibus aedificata fuisse. Insigne inter alia fuit templum Smyrnaeum Stratonicei, seu, ut aiunt, Stratonicidi Veneri dicatum (τὸ ἱερὸν τῆς Ἀφροδίτης τῆς Στρατονικίδος). In hoc templo, ut in loco sacratissimo, deposuerunt Smyrnaei exemplar foederis quod pepigerunt cum Magnesiis (5) et quemadmodum Magnesii per Seleuci fortunam se foederi fore fideles, ita et Smyrnaei per Stratonicidis fortunam juraverunt (6). Templum hoc

(1) *B. C. H.*, 1889, p. 525, l. 23 : ταύτης καθίστασθαι καὶ [ἐ]ν τοῖς αὐτοῖς τόποις ἀρχιερείας.

(2) L. 25 : αἳ φο[ρ]ήσουσιν στεφάνους χρυσοῦς.

(3) L. 26 : ἐπιγραφήσονται δὲ καὶ ἐν [τοῖς σ]υναλλάγμασιν. κ. τ. λ.

(4) L. 29 : Ἐπεὶ οὖν ἀποδέδ[ειγ]μαι ἐν τοῖς ὑπὸ σὲ τόποις [βερ]ενίκην. κ. τ. λ. Cf. l. 2 : προστάγματος [περ]ὶ τοῦ ἀποδεδεῖχθαί τῆς βασιλίσσης (ἀ)ρχιέρειαν τῶν ἐν τῆι σατραπείαι. κ. τ. λ.

(5) *C. I. G.*, 3137, l. 83.

(6) L. 70; cf. l. 61.

beneficio regis Antiochi asylum fuit, quo jure postea tota civitas fruita est, simulque sacra est facta (1).

Post Stratonicem Berenicenque Cleopatra sanctissime habita est. Haec enim regina in nummis apparet modio insignita, qui Veneris proprius est, et appellatur Θεὰ Εὐετηρία (2). Ejus mira audacia eo magis extollebatur quod, e Ptolemaeorum genere orta, et Dei Philometoris filia, trium Syriae regum uxor, quattuor mater erat. Ex Alexandro enim primo Antiochum sextum (3), e Demetrio secundo Seleucum quintum et Antiochum octavum, et ex Antiocho septimo Antiochum nonum filios habuerat. Nonne tot Deorum filiam matremque divinitate superbire licebat? Cleopatra igitur Veneris insignibus decorata est ut videre licet in quodam parvulo signo ex aere, quod, prope Berytum inventum, nunc in Musaeo Parisiensi servatur. Columba capiti imposita deam ostendit (4).

(1) L. 11 : καὶ τὴν πόλιν ἱερὰν καὶ ἄσυλον. Cf. Tacite, *Annal.*, III, 63.

(2) Eckhel, *D. N.*, III, p. 227. Percy Gardner, *l. l.*, p. 85-87. Head., *Hist. num.*, p. 646. Mionnet, V, p. 26. *Suppl.*, p. 29.

(3) Forsitan et Alexandri secundi mater Cleopatra fuerit.

(4) Longpérier, *Catalogue des bronzes du Louvre*, n. 365.

CAPUT VI.

DE DIVINIS HONORIBUS QUOS ATTALI ACCEPERUNT.

I. — *De divinis honoribus quos acceperunt reges Pergameni.*

Regnum Pergamenum ab exiguis initiis ad splendorem pervenit. Unus enim e Lysimachi eunuchis, Philetairos nomine, qui urbi Pergamo praepositus fuerat, ut gazam regiam, ibi servatam, custodiret, a rege defecit, et, dum hic contra Seleucum bellum gerebat, oppidum regionemque vicinam suae dicionis fecit. Non tamen rex vocari ausus est Philetairos, sed tantum δυνάστης. Post eum Eumenes Attalusque, variis rerum vicibus, quas narrare nostrum non est, imperium suum auxerunt.

Postquam vero Gallos, qui Europam invaserant, devicit Attalus, rex vocatus est simulque, ut ceteri, divinos honores affectavit. Ad divinitatem assumendam dii ipsi eum impulerunt. Etenim uno oraculo, quo Attali victoria nuntiatur, rex Tauri filius vocatur :

τάχα γὰρ σφιν ἀοσσητῆρα Κρονίων
ὁρμήσει, ταυροῖο διοτρεφέος φίλον υἱόν,
ὅς πᾶσιν Γαλάτῃσιν ὀλέθριον ἡμὰρ ἐφήσει.

Altero appellatur ταυροκέρων (1). Nemini dubium esse potest quid sibi velint ista verba. Tauri enim cornua divinam originem demonstrant, vel saltem divinam virtutem. Graeci qui Pergameni regis victoria liberati fuerant, eum piissimo cultu venerati sunt. Sicyones annuum festum instituerunt in quo sacra regi peragebantur (θυσίαν αὐτῷ συντελεῖν κατ' ἔτος), et Apollinis statuae Attali statuam, decem cubitis altam, sociaverunt (2). Athenienses nomen Attali novae tribui dederunt (3) ut quondam Antigoni Demetrii Ptolemaeique nomina dederant. Creatus etiam est ἱερεὺς Ἀττάλου ἐπωνύμου qui usque ad romanam aetatem permansit, ut patet titulo in Dionysi Theatro reperto (4). Item Tei, in Asia minore, invenimus sacerdotem qui vocatur ἱερεὺς Ἀττάλου Εὐσεβοῦς (5), et ludos qui, Dionysiorum instar, scenici videntur. In eis enim satyricas fabulas et dithyrambos acta fuisse titulis docemur (6).

Eadem in urbe celebrata fuerunt quotannis natalicia regis Eumenis, Attali Pii filii. Die, qui vocabatur ἡ τοῦ βασιλέως Εὐμένου ἡμέρα, pompa solemnis erat, ludi et sacrificia agebantur, urbis magistratus libabant, et ludis praeerat ὁ ἀγωνοθέτης καὶ ἱερεὺς Εὐμένου βασιλέως, qui annuus erat (καθ' ἕκαστον ἔτος). Eodem die coronae eis dabantur

(1) Pausanias, X, 15, 3.

(2) Polybe, XVIII, 16 (XVII, 16).

(3) Polybe, XVI, 25, 9. T.-L., XXXI, 15. Pausanias, I, 5, 5; 8, 1. *C. I. A.*, II, 465, 471. Cf. *Philologus*, XXXIX, p. 273 et seq.

(4) *C. I. A.*, III, 300.

(5) Waddington, *Ins. As. Min.*, 88.

(6) Wadd., *ibid.*, 93.

quibus talem honorem civitas vel collegia decreverant (1).

Attali secundi, qui Philadelphus cognominatus est, sacerdos aderat in urbe Sesto (2). Hujus sacerdotis munus erat, quoque mense, sacrificare populi nomine, die quo celebrabantur natalicia regis (ἔν τε γενεθλίοις τοῦ βασιλέως καθ' ἕκαστον μῆνα θυσιάζων ὑπὲρ τοῦ δήμου (3). Menas filius Menetis, qui eo sacerdotio functus est, saepius ab urbe legatus missus est sive ad reges, sive ad romanos praetores qui in Asiam venerant. Quibus in legationibus patriae suae magnopere opitulatus est (4). Postea, sacerdos designatus, choregiae sumptibus largissime providit, urbemque non civibus modo et incolis, sed et peregrinis laudandam praebuit (5). Deinde gymnasiarcha factus, adulescentium juvenumque disciplinae intentam operam dedit, balneum adulescentiumque domum ornavit, statuam albo lapide erexit, omnia denique necessaria procuravit. Instituit etiam adulescentium juvenumque cursus et certamina, quibus jaculo et arcu contenderent. Ob ea merita titulum in illius honorem populus inscribi decrevit, et eum adulescentes juvenesque coronaverunt. Ille vero, honore contentus, sumptus reipublicae remisit, et arma propria pecunia dicavit. Postremo per-

(1) *C. I. G.*, 3068 A.

(2) *Hermes*, 1873, p. 115, l. 26. Μουσεῖον, 1876-1880, p. 18.

(3) *Ibid.*, l. 35.

(4) L. 20 : τάς τε πρεσβείας ἀνεδέχετο προθύμως πρός τε τοὺς στρατηγοὺς τοὺς ἀποστελλομένους ὑπὸ Ῥωμαίων εἰς τὴν Ἀσίαν. κ. τ. λ.

(5) L. 26 : ἱερεύς τε ἀποδειχθεῖς τοῦ βασιλέως Ἀττάλου ἀξίως ἀνεστράφη τοῦ δήμου, πᾶσαν ὑπομείνας φιλαγάθως την ἐν τοῖς δαπανωμένοις χορηγίαν. κ. τ. λ.

misit civitas Menam nummos proprio nomine signare.

Hoc titulo apparet Attali sacerdotium nobilissimis civibus tributum, et aliquando gymnasiarchiae conjunctum fuisse. Idem enim Menas simul dicitur et sacrificavisse in regiis nataliciis pro populo et cursus aliaque, de quibus locuti sumus, certamina instituisse (1). Cum vero iterum gymnasiarcha electus est, etsi laudatur et ob alia merita et quod Mercurio et Herculi sacra debita peregit, nulla tamen fit mentio de sacris in honorem Attali peractis (2). Inde concludendum puto diversa fuisse gymnasiarchae et Attalici sacerdotis munera, etsi quando vir unus ea simul obtinuerit.

Regi Attalo tertio Philometori in urbe quadam Mysiae, cujus nomen nos fugit (3), majores etiam honores decreti sunt.

Hujus urbis cives regi consecraverunt statuam loricatam, quinque cubitibus altam, in templo Aesculapii Soteris, ut rex esset σύνναος τῷ θεῷ (4), et alteram auream, equestrem, et basi marmoreae impositam, prope Jovis Soteris aram (5). Quoque die stephanophorus et sacerdos regis qui et agonotheta erat (ὁ στεφανοφόρος καὶ

(1) L. 35 : ἔν τε τοῖς γενεθλίοις τοῦ βασιλέως καθ' ἕκαστον μῆνα θυσιάζων ὑπὲρ τοῦ δήμου, διαδρομὰς ἐτίθει τοῖς τε ἐφήβοις καὶ τοῖς νέοις.

(2) L. 54 et seq.

(3) Forsitan haec urbs sit Elaia.

(4) *Abhandlungen der K. Akad. in Berlin*, 1872, p. 68, Melius, Μουσεῖον, 1880, p. 141, l. 7 : καθιερῶσαι δὲ αὐτοῦ καὶ ἄγαλμα πεντάπηχυ τεθωρακισμένον καὶ βεβηκὸς ἐπὶ σκύλων ἐν τῶι ναῶι τοῦ Σωτῆρος Ἀσκληπίου ἵνα ἢ[ι] σύ[νναο]ς τῶι θεῶι.

(5) L. 9 : στῆσαι δὲ αὐτοῦ καὶ εἰκονα χρυσῆν ἔφιππον ἐπὶ στυλίδος μαρμαρίνης παρὰ τὸν τοῦ Διὸς τοῦ Σωτῆρος βωμόν.

ὁ ἱερεὺς τοῦ βασιλέως καὶ ἀγωνοθέτης), ante aram Jovis Soteris incensum regi offerebat (1). Octava dies qua Pergamum rex intraverat, in perpetuum sacra erat et in ea quotannis pompa quam pulcherrima a sacerdote Aesculapii ducebatur a Prytanaeo ad templum Aesculapii et regis (2). Pompam hanc comitabantur qui comitari pompas assueti erant, peragebatur sacrificium, litabatur, conveniebantque in templum magistratus. Ad pompam conciliumque, ex redditibus publicis et e tributo quod Aesculapio solvebatur, quinquaginta drachmae dabantur (3). Sacrificii curam habebant qui dicebantur οἱ ἱερονόμοι (4). Statuae haec inscripta sunt : « Ὁ δῆμος βασιλέα Ἄτταλον Φιλομήτορα καὶ Εὐεργέτην, υἱὸν βασιλέως Εὐμήνου Σωτῆρος, ἀρετῆς ἕνεκεν καὶ ἀνδραγαθίας τῆς κατὰ πόλεμον, κρατήσαντα τῶν ὑπεναντίων (5); » imagini vero haec : « Ὁ δῆμος βασιλέα Ἄτταλον Φιλομήτορα καὶ Εὐεργέτην, Θεοῦ βασιλέως Εὐμένου Σωτῆρος, ἀρετῆς ἕνεκεν καὶ φρονήσεως τῆς συναυξούσης τὰ πράγματα καὶ μεγαλομερείας τῆς εἰς ἑαυτόν (6). » Duae istae inscriptiones inter se in eo praecipue differunt, quod in priore

(1) L. 11 : ἑκάστης τε ἡμέρας ὁ στεφανηφόρος καὶ ὁ ἱερεὺς τοῦ βασιλέως κ[αὶ] ἀγωνοθέτης ἐπιθυέτωσαν λιβανωτὸν ἐπὶ τοῦ βωμοῦ το[ῦ] Διὸς τοῦ Σωτῆρος τῶι βασιλεῖ.

(2) L. 13 : τὴν δὲ ἀγδόην ἐν ἧι παρεγένετο εἰς Πέργαμον, ἱεράν τε εἶναι ε[ἰς] ἅπαντα τὸν χρόνον, καὶ ἐν αὐτῆι ἐπιτελεῖσθαι κατ' ἐνιαυτὸν ὑπὸ τοῦ ἱερέως τοῦ Ἀσκληπιοῦ πομπὴν ὡς καλλίστην ἐκ τοῦ πρυτανείου εἰς τὸ τέμενος τοῦ Ἀσκληπιοῦ καὶ τοῦ βασιλέως.

(3) L. 16 : συμπομπευόντων τῶν εἰθισμένων καὶ παρασταθείσης θυσίας καὶ καλλιερηθείσης, συναγέσθωσαν ἐν τῶι ἱερῶι οἱ ἄρχοντες δίδοσθαι εἴς τε τὴν θυσίαν καὶ τὴν σύνοδον αὐτῶν ἀπὸ τοῦ ταμ[ε]ίου τῶν ἀμετοίστων προσόδων ἀπὸ τοῦ πόρου τοῦ Ἀσκληπιοῦ ἀρ[γ]ύρου δράχμας πεντήκοντα.

(4) L. 20 : τὴν δὲ θυσίαν [ἐπ]ὶ τῆς ὑποδόχης ἐπιμελείσθωσαν οἱ ἱερόνομοι.

(5) L. 21.

(6) L. 24.

Eumenes non dicitur Deus, in posteriore vero hoc nomine decoratur.

Cum statua in urbem perveniebat, singuli duodecim deorum et dei regis Eumenis stephanophori eam coronabant, flamines et flaminicae templa aperiebant, et postquam incensum obtulerant, deos precabantur ut regi Attalo darent robur, salutem, victoriam, potentiam ceteraque bona (1).

Ex titulis quos supra rettulimus apparet reges Pergamenos duplici cultu fuisse honoratos. Dum vivebant, natalicia eorum celebrabantur et diis antiquis sociabantur, post mortem vero ipsi vocabantur dii, et mors illorum nihil est nisi inter deos relatio (τῶν τε βασιλέων εἰς θεοὺς μεταστάντων) (2). Haec distinctio in inscriptionibus statuarum modo allatis apparet. Attalus tertius vocatur βασιλεὺς et Eumenes θεὸς βασιλεύς. Eodem modo loquitur idem titulus de stephanophoris τῶν δώδεκα θεῶν καὶ θεοῦ βασιλέως Εὐμένου, et sacerdos urbis Tei dicitur ἱερεὺς καὶ ἀγωνοθέτης θεοῦ Εὐμένου. Confirmatur etiam illa inter vivos mortuosque reges distinctio titulo Hierapolitano, nunc in musaeo Berolineo servato, in quo regina Apollonis

(1) L. 26 : ὅταν δὲ παραγίνηται εἰς τὴν πόλιν ἡμῶν, στεφανηφορῆσαι πάντα ἕκαστον στεφανηφόρον τῶν δώδεκα Θέων καὶ Θεοῦ βασιλέως Εὐμένου καὶ τοὺς ἱερεῖς καὶ τὰς ἱερείας, ἀνοίξαντες τοὺς ναοὺς τῶν θεῶν καὶ ἐπιθύοντας τὸν λιβανωτὸν, εὔχεσθαι νῦν καὶ εἰς τὸν ἀεὶ χρόνον διδόναι βασιλεῖ Ἀττάλωι ῥώμην... ὑγιειάν, σωτηρίαν, νικὴν, κράτος καὶ..... κ. τ. λ.

(2) *Hermes*, 1873, p. 115, Μουσεῖον, 1876-1880, p. 18, l. 16. Vocatur tamen vivus Eumenes Θεὸς in titulo apud Panadum in Propontide reperto : Ὑπὲρ βασιλέως Εὐμένου Φιλαδέλφου Θεοῦ καὶ Εὐεργέτου. Dittemberger, *Sylloge*, 223.

dicitur γυνὴ μὲν θεοῦ βασιλέως Ἀττάλου, μητὴρ δὲ βασιλέως Εὐμένου (1).

In honorem deorum Attalorum constructa sunt etiam in quibusdam urbibus templa, quae vocata sunt, eorum nomine, Ἀτταλεῖα. Hujus modi aedes fuisse novimus Tei (2) et Aeginae (3). His etiam in urbibus et Aphrodisiade celebrati sunt ludi qui dicuntur Ἀττάλεια et Εὐμένεια (4).

Quaedam etiam collegia regum cultui inservierunt. Inter quae annumerandum est collegium artificum Dionysiorum, cujus decreto corona Cratoni cuidam oblata est, quod de sociis bene meruerat pietate erga deos et erga reges reginasque (5). Mox etiam creata sunt collegia quorum sodales appellati sunt Ἀτταλισταί, societas vero nomen sibi sumpsit κοινόν vel σύνοδος τῶν Ἀτταλιστῶν (6). Hujusmodi collegio legem dedit Attalus secundus (7).

II. — *De divinis honoribus quos acceperunt Pergamenae reginae.*

Jam vidimus reginas maritorum suorum honoribus

(1) *Sitzungsberichte der K. P. Akad. in Berlin*, 1888, p. 804, n. 50.

(2) *C. I. G.*, 3069, l. 20.

(3) Lebas, *Voy. archéol.*, IV (*Insulae*), 1688, l. 45.

(4) *Ibid.*, l. 40. *C. I. G.*, 3239[b], 2801. Forsitan Attalus Philadelphus et Eumenes Soter Apollini sociati fuerint Delphis, sed de eorum cultu in ea urbe non satis liquet. Cf. *B. C. H.*, 1880, p. 164 et seq. et 384.

(5) *C. I. G.*, 3068, *A et B.*

(6) *Ibid.*, 3069, 3070, 3071. *B. C. H.*, 1880, p. 164 et sqq.

(7) *Ibid.*, 3069, l. 15 : νομὸν ἱερὸν ὃν ἐξαπέστειλεν ἡμῖν βασιλεὺς Ἄτταλος.

consociatas fuisse, novimus etiam eas aliquando peculiares ab eis vel a filiis suis honores accepisse. Eumenes Attalusque, in honorem matris suae Apollonidis, templum Cyzici aedificaverunt cujus muri anaglyphis ornati sunt, quibus figurabantur fabulae quae optima pietatis liberorum erga parentes, et praecipue erga matres, exempla memorabant (1).

Tei ut honorabatur rex Attalus Pius ita et reginae Apollonis et Stratonice, Attali uxor. Sacerdos, qui Attali regis sacris praeerat, colebat etiam Apollonidem (ἱερεὺς Ἀττάλου Εὐσεβοῦς καὶ θεᾶς Ἀπολλωνίδος Εὐσεβοῦς) (2) et flaminica altera erat deae Apollonidi et reginae Stratonicei communis (ἱερεία αὐτῆς καὶ βασιλίσσης Στρατονικῆς) (3). Dum enim mortua regina vocatur dea, quod inter deas relata est (μεθέστηκεν εἰς θεοῦς) (4), viva regina hoc nomine caret.

Sacrificiis quae peragebantur, praeerant ii quos modo nominavi sacerdotes, simulque prytanis, ἱεροποιοί, ceterique magistratus (5). Finitis precibus, libationibus sacrificiisque, ingenui pueri carmen prope aram (παραβώμιον) (6), et sacrae virgines, a magistratu qui dicitur

(1) Haec anaglypha describuntur in Anthologiae Palatinae capite tertio : Ἐν τῷ Κυζίκῳ εἰς τὸν ναὸν Ἀπολλωνίδος τῆς μητρὸς Ἀττάλου καὶ Εὐμένους ···· εἰς τὰ στυλοπινάκια κ. τ. λ.

(2) Waddington, *Insc. As. Min.*, 88, l. 4.

(3) *Ibid.*, l. 5.

(4) *Sitzungsberichte d. K. P. Acad. in Berlin*, 1888, p. 844, n. 50.

(5) Waddington, *Insc. As. Min.*, 88, l. 6 : καὶ τὸν πρύτανιν καὶ τοὺς ἱεροποίους καὶ τὰς [ἄ]λλας συναρχίας.

(6) *Ibid.*, l. 8 : καὶ, μετὰ τὸ συντελεσθῆναι τὰς κατευχὰς καὶ τὰς [σπ]ονδὰς καὶ τὰς θυσίας, ᾄσαι τοὺς ἐλευθέρους παῖδας παραβώμιον.

παιδονόμος, electae, hymnum canebant (1). Dabatur etiam cura magistratibus et praetoribus ut deinceps, quoque anno, eodem modo cantarentur hymnus et παραβώμιον a pueris virginibusque, et eorum vocibus omnis coetus responderet, omniaque perficerentur quae in honorem deae Apollonidis decreta erant (2).

Templum denique exstructum est Apollonidi Piae Descendenti : (Ναὸς Ἀπολλωνίδος Εὐσεβοῦς ἀποβατηρίας), et acta certamina (3).

(1) Waddington, *Insc. As. Min.*, 88, l. 9 : [ἱερ]εῦσαι δὲ καὶ τὰς παρθένους τὰς ἐπιλεγεῖσας ὑπὸ τοῦ παιδονόμου [καὶ ἄ]ισαι ὕμνον.

(2) *Ibid.*, l. 10 : ἵνα δὲ καὶ εἰς τὸν λοιπὸν χρόνον ὑπὸ μὲν τῶν παίδων ᾄ[δητ]αι τὸ παρα[β]ώμιον, ὁ δὲ ὕμνος ὑπὸ τῶν παρθένων, συμπόμπαι δὲ καὶ ἠχ[ὴ] [συμπέ]μπωσι ἐννοεῖσθαι καθ' ἕκαστον ἔτος τοὺς τιμούχους καὶ τοὺς σ[τρατηγοὺς] πά[σαις] ταῖς ἄλλαις τιμαῖς ταῖς ἐψηφισμέναις · Θεᾷ Ἀπολλωνίδ[ι ἀκολουθοῦντας.]

(3) *Ibid.*, l. 14 : [ναὸν δὲ] θεᾶς Ἀπολλωνίδος Εὐσεβοῦς Ἀποβατηρίας [καθιδρύσασθαι ἐν τούτῳ τῷ] τόπῳ καὶ συντελεῖσθαι ἐπ' αὐτοῦ εὐσ[εβῶς ἀγῶνα... Templum hoc erectum eo loco fuisse videtur quo Apollonis cum Teon veniret navi egressa est. Ἀποβατήριος est cognomen Jovis et Apollinis (Cf. Arrian., *Anab.*, I, 11, 7. Foucart, *Inscr. Megar.*, 159 *j.* Smith, *Discoveries at Cyrene*, 12).

CAPUT VII.

DE DIVINIS HONORIBUS QUOS ACCEPERUNT REGES COMMAGENES.

Postquam Syriam in romanam provinciam redegit Pompeius Magnus, ea pars tamen veteris regni libera mansit quae vocatur Commagene. In ea regione regnaverunt novi Antiochi per feminas forte Seleucidarum nepotes. De eorum successione valde dissentiunt periti, nostra tantum interest nosse eos divinitatem sibi vindicavisse. Eorum enim unus et ejus uxor dii appellantur in titulo Ephesio qui sic legitur (1) :

[Ὁ δῆμος]
βασιλέα Ἀντίοχον θεὸν
Δίκαιον Ἐπιφανῆ φιλορώμαιον
καὶ φιλέλληνα, τὸν ἐγ βασιλέως
Μιθραδάτου Καλλινίκου καὶ
βασιλίσσης Λαοδίκης θεᾶς
Φιλαδέλφου τῆς ἐγ βασιλέως
Ἀντιόχου Ἐπιφανοῦς Φιλομή
τορος Καλλινίκου, εὐσεβῶς

(1) Waddington, *Insc. As. Min.*, 136 *d*. O. Hamdy-Bey, *Le Tumulus de Nemroud-Dagh*, p. 13, 25 et 26.

διακείμενον πρὸς τὴν θεὸν
διὰ προγόνων, ἀρετῆς καὶ εὐ
νοίας ἕνεκεν τῆς εἰς ἑα(υ)τὸν
ἀνέθηκεν

Censet Waddington Antiochum, de quo in titulo agitur, esse Antiochum tertium, qui, decimo septimo ante Christum natum anno, mortuus est. Inde concludit eum fuisse filium Mithradatae secundi et Laodices, quae Antiochi Epiphanis Philometoris Callinici filia erat; Antiochum vero Philometorem eumdem fuisse atque Antiochum Asiaticum Seleucidarum ultimum, quem nummi Philopatorem vocant.

Doctissimi viri sententiam impugnat Mommsen sequentibus argumentis : 1° Nullo jure dici posse nomen Philometoris pro Philopatoris nomine inscriptum fuisse, 2° Inter Antiochum Seleucidam illiusque genererem, Mithradatum secundum, sexaginta annos ponendos esse, quod non sine difficultate aliqua admitti potest. Putat ergo Commagenos reges non viris sed feminis Seleucidarum fuisse nepotes. Antiochus enim Syriae octavus Epiphanes nominatur etiam Philometor ab Eusebio, et opinari non vetamur huic regi fuisse filiam, Mithradato cuidam Commageno nuptam matremque Antiochi nostri (1).

Ingeniose quidem omnia ordinavit Mommsen, non tamen sine dubio remanent quae asserit. Ex verbis enim τὸν ἐγ βασιλέως Μιθραδάτου et τῆς ἐγ βασιλέως Ἀντιόχου non necessario sequitur Mithradatem Laodicenque patrem matremque

(1) *Mittheilungen des Deutschen Archaelog. Instit. in Athen.*, I, p. 27 et seq.

fuisse Antiochi. Possunt enim post praepositionem ἐκ dari nomina avorum (1). Dubium ergo remanet num revera Seleucidarum nepotes fuerint Commageni reges, et etiam num ille Antiochus, in titulo nominatus, fuerit primus vel tertius vel quartus.

Quidquid id est, Antiochus inter deos et Laodice inter deas, relati sunt. Hujus rei certiores sumus etiam alio titulo in quo longius describuntur honores quos ille sibi et avis suis tribuendos instituit (2).

« Postquam patrium thronum accepi, ait rex, regnum meum sedem omnibus diis communem pietate mea feci, eorum imagines decoravi, omnibus artibus usus quae Persarum Graecorumque, ex quibus feliciter ortus sum, traditionibus noscuntur... Prope illos caelestes thronos, ... sacrum tumulum (ἱεροθέσιον) posui ubi corpus meum aeterno sommo quiescet, postquam beatus senuero, piusque animus ad caelestes Jovis Horomasdi thronos evolaverit (3). »

Addit paulo post : « Prope thronos deorum benignorum imaginem meam collocavi et novae fortunae sociavi magnorum deorum veterem cultum (4). »

Ut dii et reges mortui et ipse debitos honores accipiant, sacerdotes instituit qui eos rite colant (5). Praeter antiquos dies festos, novi quotannis celebrabuntur, in toto regno, in deorum honorem regisque memoriam, die

(1) Cf. O. Hamdy-Bey, *Le tumulus de Nemroud-Dagh*, p. XIX.
(2) O. Hamdy-Bey, *l. l.*, p. I et seq. Videas textum in appendice.
(3) *Le tumulus*, p. I, col. I *b*, l. 24-38.
(4) *Ibid.*, col. II *a*, l. 55-59.
(5) *Ibid.*, col. I *b*,I l. 65-68.

scilicet sexta decima mensis Advei, in qua natus est, et decima mensis Loi, in qua imperio potitus est (1). Quo facilius celebrentur hi festi dies, regnum in partes dividetur, et in quaque parte concilia erunt et sacrificia. Urbium pagorumque incolae in proximum templum convenient (2). Item, quoque mense, decima et sexta decima dies sacrae habebuntur, iisque diebus sacerdotes sacrificabunt (3). Ut servetur memoria regiorum jussorum, lex sacra columnis sacrosanctis inscribetur, quae per futura secula maneat. Censet enim rex iram regiorum geniorum de his poenas sumpturam esse qui, sive negligentia, sive actis, impii fuerint. Etenim ob contemptam consecratorum heroum legem venia dari non potest (4).

Legem de qua loquitur Antiochus habemus. Eam hic totam latina lingua transferre liceat (5).

LEX.

« Quicumque a me constituitur sacerdos deorum heroumque, quorum imagines in Tauri cacumine, prope sacrum meum tumulum, posui, et quicumque deinceps eo munere fungetur, sit ab omni alio munere immunis. Nihil igitur obstet quin cultui curaeque harum sanctarum imaginum totus incumbat. In nataliciis, quae annua

(1) *Le tumulus*, p. 1, col. I *b*, l. 70-80.
(2) *Ibid.*, col. III a, l. 81-85.
(3) *Ibid.*, l. 87-91.
(4) *Ibid.*, l. 92-105.
(5) *Ibid.*, col. III *b* et seq., l. 108 et seq.

menstruaque in aeternum quotannis celebranda institui, in deorum meumque honorem, Persica veste induatur, qua mea munificentia et patrius mos eum indui jusserunt. Diis heroibusque imponat aureas coronas quas ego ad hos pie colendos sacravi. Redditus accipiat pagorum quos ego sacravi, et ex iis in honorem consecratorum heroum incensum et aromata in aris abundanter offerat, sacrificiaque large digneque perficiat in deorum meumque honorem.

« Mensas sacras dapibus, quae deceant, operiat, craterasque, similes his qui sub praelo ponuntur, impleat multo vino. Comiter accipiat turbam quae aderit, sive incolarum, sive peregrinorum, faciatque ut omnes eorum coetus festo frui possint. Primus ipse partem sumat, quae sacerdotali dignitati, ex more, contingit, deinde reliquum ceteris distribuat ut quisque meis donis libere gaudeat, acceptaque tota parte sua, festum peragere possit ubi libebit, nec de festi ordinatione aliquid conqueratur. Vasibus, quae ego sacravi, quisque utatur, quamdiu in sacro loco communi concilio aderit. Turba vero musicorum qui a me in hoc munus sacrati sunt et deinceps sacrabuntur, filii et filiae et nepotes eorum easdem artes doceantur, et, ab aliis muneribus immunes, officio suo fungantur in statutis a me conciliis, quamdiu voluerit concilium. Nemini liceat, neque regi, neque principi, neque sacerdoti, neque magistratui, hos sacros servos, quos ego in honorem deorum meumque, secundum heroum voluntatem, obtuli, puerosve nepotesve eorum quicumque postea ex eis nascentur sibi servos facere, vel quocumque modo alteri alienare, vel eos

male habere, vel ab officio suo prohibere. Sacerdotes vero curam illorum habeant; protegant eos reges, magistratus privatique omnes, et a diis heroibusque pietatis suae gratiam accipient.

« Eodem modo nemini liceat pagos, quos heroibus ego sacravi sibi proprios facere vel alienare, vel de eis disponere, vel etiam nocere his pagis, aut redditibus quos ego sacrosanctam heroum possessionem constitui. Nemini sine periculo sit sacrificia et concilia quae ego sacravi, in mei honoris contemptum, violare vel minuere vel abolere. Si quis vero ordinationis hujus vim sacram, vel heroum cultum quem immortalis (mea) sententia stabilivit, abolere vel violare, vel mutare tentaverit, eum progeniemque ejus heroum cunctorumque deorum ira gravissimis poenis afficiat. Ego vero pietatis, quam erga deos avosque habere justum est, insigne exemplum pueris nepotibusque meis et saepius aliter et hac lege dedi. Spero etiam fore ut, praeclarum hoc exemplum imitati, generis sui honores augeant, et, tempore suo, multa, ut ego, in domus suae honorem instituant. Iis ita agentibus patrii Persidis et Macedoniae et Commagenes dii propitii faveant precor.

« Quicumque etiam, sive rex, sive princeps, postea legem hanc nostrosque honores servabit, ob preces meas benignos sibi heroes cunctosque deos habeat. Violantibus vero hanc legem heroumque cultum, et ego maledico, et, per deos, cuncta adversa sint. »

Titulum hunc, etsi longiorem, totum tamen in linguam latinam transferre non dubitavi. Maximi enim momenti sunt cuncta quae in eo continentur, neque

adhuc in Gallia nostra, quod sciam, edita. De eo nunc pauca notemus.

1° In titulo videmus ita confundi deos Persarum Graecorumque ut nominentur : Ζεὺς Ὡρομάσδης, Ἀπόλλων Μίθρας, Ἥλιος Ἑρμῆς, Ἄρταγνος Ἡρακλῆς Ἄρης (1). Ait rex se Persarum Graecorumque, id est felicissimae generis sui stirpis, mores sequi, et alio loco patriorum deorum Persidis et Macedoniae et Commagenes benevolentiam invocat (2). Quis credat sine consilio ita misceri Persarum Macedonumque memoriam ? Si enim se Alexandri profitetur successorem Antiochus, non vult tamen antiquorum Persidis regum nomen perire. Immo facile dixeris jam a Graecis moribus ad Persicos mores eum redire. Signis enim, quae prope sacrum suum tumulum rex posuit, finguntur Darius Magnus, Hystaspi filius (3), Aroandes, Artasurae filius, maritusque Rodogunae, Artaxerxis filiae (4), et cum eis Isias Philostorgae filia (5). Hac avorum suorum commemoratione ostendit Antiochus se non minus superbire quod sit ab Achemenidibus ortus quam quod Alexandri imperio partim potiatur. Inde fit etiam ut sacerdotes non Graecorum sed Persarum vestibus indui jubeat (6).

2° Non peculiare sibi avisque suis sacerdotium instituit, sed se eosque antiquis sacratissimisque diis et

(1) L. 50-52.

(2) L. 196-198.

(3) *Le tumulus*, p. 25 : βασιλ[έα] βασιλέων Μέ[γαν] Δαρεῖον τὸν Ὑστάσ[που].

(4) *Ibid.*, p. 26 : Ἀροάνδην Ἀρτασούρα τὸν γαμήσαντα βασιλίσσαν Ῥοδογούνην τ[ὴν] Ἀρταξέρξου θ[υγατ]έρα.

(5) *Ibid.*, p. 28 : βασίλισσαν Ἰσιάδα Φιλοστόργου.

(6) L. 65 et 118.

Deae Commagenei adjungit. Quo instituto ita regum mortuorum, regisque viventis cultus antiquorum deorum venerationi miscetur, ut nemo in reges impius esse possit quin simul patriae diisque injuriam inferat.

3° Quemadmodum a Syriae regibus in quacumque regni sui provincia sacerdotium institutum fuisse vidimus, ita Antiochus noster, ad celebrandos dies festos, regnum suum in partes dividit, jubetque incolas in proxima et cuique maxime convenientia templa convenire (1).

4° Sacerdos qui sacris deorum, heroum, regisque praeerit a rege nominatur, et maximis privilegiis fruitur. Instituitur simul collegium musicorum qui servi videntur fuisse. Qui a rege collegio huic adscribuntur eorumque posteri in perpetuum sacro tumulo inservient, et a puero suam artem discent (2).

5° Nihil a rege omittitur ut splendidissime celebrentur festi dies, et accuratissime ab eo providetur ut omnes qui convenerint quam maximam percipiant laetitiam, rerumque omnium copia diffluant (3). Cum vero, ad ea quae statuerit peragenda, multa pecunia opus sit, ipse quae necessaria erunt liberaliter suppeditat, non annua quidem largitione, sed redditibus in perpetuum semel condonatis.

6° Si vero animadverterimus qui fuerint festi dies, ritusque in eis adhibiti, notabimus quosdam apud Graecos et apud Aegyptios jampridem usitatos. Coronae enim deorum regumque signis imponuntur, ut apud Graecos

(1) L. 85-87.
(2) L. 142 et seq.
(3) L. 61, 122 et seq.

Aegyptiosque mos erat. Canuntur hymni et cantus quos magistri musicos docent. Denique iidem sacri dies sunt : regis natalicia et dies quo imperio potitus est.

Num diu perseveraverit Antiochi institutum ignoramus, putandum tamen est illud finem habuisse cum Commagene in Romanam provinciam redacta est.

CAPUT VIII.

DE DIVINIS NOMINIBUS REGUM BACTRIANORUM PARTHORUMQUE.

Difficile est indicare quo tempore Bactriani contra Seleucidas rebellaverint. Scimus tamen Diodotum, Bactriae praesidem, Antiochi secundi temporibus sui juris factum fuisse. Frustra conati sunt Seleucidae rursus rebelles in suam potestatem redigere. Post varias longi belli vices, stabilitum est Bactrianorum regum imperium. Tanta vero erat Alexandri magni et Graeci nominis fama ut Bactriani reges se Alexandri et Seleucidarum successores proclamaverint. Nummorum enim Agathoclis Justi nomine inscriptorum seriem reperimus, in quibus leguntur nomina :

Ἀλεξάνδρου τοῦ Φιλίππου,
Ἀντιόχου Νικατόρος,
Διοδότου Σωτῆρος,
Εὐθυδήμου Θεοῦ (1).

(1) Percy Gardner, *The Coins of the Greek and Scythic Kings of Bactria*, p. 10 et 164. Head., *Histor. numorum*, p. 702 et 704. Cf. nummum Antimachi I Diodoti Soteris capite insignitum. Percy Gardner, *ibid.*, p. 164. Head., *ibid.*, p. 704.

Etsi difficillimum est cernere quis sit ille Antiochus Nicator, negare tamen nemo potest eum regem Syriae fuisse. Iisdem nummis docemur Bactrianos reges divina sumpsisse cognomina. Jam supra probavimus divina esse cognomina Nicatorem Soteremque, quid vero de verbo θεός dicendum ! Praeter Euthydemum quem modo nominavi, vocantur etiam in nummis dii Antimachus (1) et Gondophares (2), et Arsaces quidam (3). Antialcidas vero vocatur νικηφόρος, et in nummis sculpit Jovem laurea coronatum, dexteraque manu victoriam tenentem (4). Idem cognomen nummis suis insculpserunt Archebius (5), et Epander (6) et Antimachus II (7), sed plerique Bactriani reges vocantur Soteres. Hoc enim nomine utuntur Apollodoti I (8) et II (9), Apollophanes (10), Diomedes (11), Dionysios (12), Hermaios (13), Hippostratos (14), Menander (15), Nicias (16), Stratones I (17)

(1) P. Gardner, *ibid.*, p. 12 et 164. Head., *ibid.*, p. 704.
(2) Percy Gardner, *ibid.*, p. 103.
(3) P. Gardner, *ibid.*, p. 175. Head., *ibid.*
(4) P. Gardner, *ibid.*, p. 25 et 166. Head., *ibid.*, p. 706.
(5) P. Gardner, *ibid.*, p. 32 et 167.
(6) *Ibid.*, p. 51 et 169.
(7) *Ibid.*, p. 103.
(8) *Ibid.*, p. 33 et 167.
(9) *Ibid.*, p. 37.
(10) *Ibid.*, p. 54.
(11) *Ibid.*, p. 31.
(12) *Ibid.*, p. 51 et 169.
(13) *Ibid.*, p. 62 et 172.
(14) *Ibid.*, p. 59.
(15) *Ibid.*, p. 44 et 168.
(16) *Ibid.*, p. 58 et 171.
(17) *Ibid.*, p. 40 et 168.

et II (1), Zoilus (2). De reginis nihil novimus nisi de Agathocleia, Stratonis I uxore quae vocata est Θεοτρόπος (3).

Ejusdem Antiochi secundi temporibus rebellaverunt etiam Parthi, et, paulo post, Seleucum Callinicum devicerunt. Ultimam hanc victoriam velut initium libertatis deinceps observaverunt. Reges qui Parthicum imperium obtinuerunt a Graecis moribus magis alieni fuisse videntur quam Bactriani reges, nec de his loquerer nisi a Seleucidis et a Ptolemaeis aliquamdiu divina nomina mutuati essent (4) et eo modo quasi domus divinae Alexandri adjuncti fuissent.

Phraates I Θεοπάτωρ est appellatus (5), et post eum Phraates II (6), et Artabanus II (7) et Phraates III (8) eodem cognomine usi sunt. Fuit θεὸς Εὐεργέτης Mithradates secundus (9), θεός vero Εὐπάτωρ Mithradates tertius (10). His addam Musam, matrem Arsaci quarti decimi, quae in nummis dicitur θεὰ Οὐρανία (11).

(1) P. Gardner, *ibid.*, p. 168. De his, vide Head., *Hist. num.*, p. 706-709.

(2) Percy Gardner, *ibid.*, p. 52. Addas etiam alios reges qui barbara, nomina gerunt : Ranjabala, Gondophares, Abdagases, Kadphises (II) *ibid.*, p. p. 67, 105, 107, 126.

(3) *Ibid.*, p. 43. Head., *Hist. num.*, p. 707.

(4) Videas, exempli gratia : Phraaten Philadelphum, Mithridatem Epiphanem et Evergetam, Arabanum Nicatorem, etc. Percy Gardner, *The Parthian Coinage*, p. 63. Head., *Hist. numorum*, p. 691-696.

(5) Percy Gardner, *The Parthian Coinage*, p. 27.

(6) *Ibid.*, p. 32.

(7) *Ibid.*, p. 33.

(8) *Ibid.*, p. 36.

(9) *Ibid.*, p. 34.

(10) *Ibid.*, p. 37.

(11) *Ibid.*, p. 45.

Reges Characenes, quorum nummos ab anno ante Christum natum centesimo vicesimo secundo possidemus, cognomine Sotere contenti fuerunt (1).

Etsi regum quos enumeravi nomina tantum citare licuit, tamen eos omitti non posse arbitratus sum, ut oculis omnium clarius appareret quot deorum quasi princeps fuerit Alexander.

(1) Head., *Historia numorum*, p. 697. Waddington, *Numismatique et chronologie des rois de Characène* (*Mélang.*, II, p. 77). *Zeitschrift für Numism.*, III, p. 249, et VIII, p. 212.

CONCLUSIO.

Postquam per partes attulimus quae de divinis honoribus, quos Alexander et successores ejus acceperunt, sive rerum gestarum scriptores, sive tituli nummique doceant, nunc cernendum est quem fructum ex divinitate sua ii perceperint, et concluenda est thesis nostra.

Animadvertimus regum religionem non sponte sua in Graecia ortam fuisse. Nemo enim vivus prius in ea regione deus habitus est quam Philippus, devictis Atheniensibus ceterisque Graeciae populis, seipsum diis immortalibus adaequare tentavit. Sed matura mors Philippi prohibuit quominus Graeci de regis divinitate sententiam suam aperirent. Dicere igitur licet Alexandrum re vera divinos honores primum accepisse.

Ne tamen credas Philippi filium, cum se deum fecit, nihil in animo habuisse nisi ut superbiae nimiae indulgeret. Etenim cum Asiam Aegyptumque suo imperio subjicere vellet, quibus in regionibus populi regibus suis ut diis parere assueverant, prioribus dominis ipse minor haberi non poterat, cumque pari jugo Graecos Barbarosque ita submittere in animo haberet, ut quasi una natio de diversis gentibus fieret, ad id adductus est

ut a Graecis eosdem divinos honores peteret quos a Barbaris acceperat.

Etsi quidam moleste id tulerunt, tamen decreta lata sunt quae rogaverat Alexander, et Macedonum rex se in eo esse arbitrari poterat ut optata tandem perficeret, cum subita morte exstinctus est.

Post Alexandri mortem, divisum est per partes ejus imperium et in iis tantummodo regionibus diu mansit regum religio quae jamdiu huic religioni assuetae erant. Etenim licet Athenienses Demetrio et Antigono aras erexerint, tamen sui juris Graecae civitates manserunt, et nulla apud eas regum, et nulla proinde deorum, series exstitit.

Aliter vero de ceteris Alexandri imperii partibus actum est, et praecipue de Aegypto et de Syria. In utroque enim regno quasi domus divinae fuerunt. In Aegypto tamen valde dissimilis fuit regum religio religionis quae in Syria viguit. In Aegypto nempe duplicem fuisse regum cultum notavimus : alterum scilicet Aegyptium quo Ptolemaei veteribus diis sociabantur, Graecum alterum quo soli reges a propriis sacerdotibus colebantur, primum locum obtinente Alexandro, stirpis quasi principe. Idcirco vero duplex ille cultus institutus est quia nunquam nisi colonias, ut ita dicam, in Aegypto Macedones habuerunt, nec veteres incolas ad Graecos mores Graecamque religionem adducere potuerunt. Necesse igitur erat, ut Aegyptii religionis quasi vinculis in Ptolemaeorum dicione tenerentur, reges in antiquis templis cum Aegyptiis diis coli, dum in Graecis civitatibus, Alexandriae et Ptolemaide, Graeci sacerdotes in eorumdem

regum honorem sacra peragebant. Ut vero sacerdotibus peculiariter regum cultui addictis majorem tribuerent honorem, et ita suam divinitatem saepius commemorarent, statuerunt Ptolemaei Alexandrinorum sacerdotum nomina omnibus actis inscribi. Quis neget haec omnia ad stabiliendum in Aegypto Ptolemaeorum imperium optime fuisse accommodata?

Longe alia fuit Syriae conditio. Jamdiu regio in qua regnaverunt Seleucidae Graecis moribus imbuta erat, itaque illis satis fuit ut sibi Graeco more sacra fierent. Ut vero semper praesens omnibus esset regium numen, creati sunt in singulis satrapiis sacerdotes, qui regis et reginae aris ministrarent.

Differt etiam a Ptolemaeorum religione Seleucidarum religio, modo quo vivi mortuique reges colebantur. Etenim in Aegypto rex quisque, non diu postquam regnare coeperat, Aegyptiorum sacerdotum decreto, divinum cognomen accipiebat, statimque antecessoribus suis deus ipse, aequo jure, in precibus ceterisque sacris jungebatur, nec proinde peculiari consecratione illi opus erat post mortem. Non ita de Seleucidis actum est. In Syria enim mortuorum cultus a vivi regis cultu disjungebatur. Unus mortuos, alter vivum regem sacerdos colebat.

Ceteri reges qui regionibus a Syria, post varias rerum vices, sejunctis, id est Pergameno regno, et Bactriae et Commagenei imperaverunt, Seleucidarum exemplum secuti, postquam per vitam divina cognomina sumpserant et divinos honores acceperant, post mortem tamen, nova quasi consecratione, quam tituli vocant μετάστασιν εἰς τοὺς θεούς, inter deos relati sunt.

In eo tamen Ptolemaei Seleucidae ceterique omnes concordant quod divinitatis suae quasi auctorem Alexandrum verentur. Nam ante deos Soteres, et Evergetas et Epiphanes princeps Alexander in Aegypto colitur, et Seleucidae nihil sibi optant nisi ut eadem sacra in ipsorum honorem fiant quae in Alexandri honorem jam celebrabantur; ceteri denique reges, etsi a Graecis ad Asiaticos mores magis magisque declinant, tamen Alexandrum minime obliviscuntur. Videmus enim Bactrianis nummis Alexandri et Seleucidarum capita insculpi, et Antiochum Commagenes regem, Graecam suam originem simul cum Persica commemorare.

Affirmare igitur nobis licet Alexandrum quasi cujusdam deorum generis fuisse auctorem, qui in variis partibus imperii ab ipso armis subacti regnaverunt.

Ex his etiam quae notavimus apparet quanto jure in prooemio dixerimus in Caesarum honorem non pauca fuisse posterius accomodata quae in Alexandri et successorum ejus honorem prius fuerant instituta. Caesares enim duplici modo honorati sunt; nempe in provinciis vivi dii habiti sunt, Romae vero per Senatus consultum post mortem sunt consecrati. Utramque hanc cultus formam in Seleucidarum Attalorumque honorem usitatam animadvertimus. Quasi consecratio est μετάστασις εἰς τοὺς θεούς, et provinciales vivi regis sacerdotes sunt ii qui in singulis satrapiis a Seleucidis creantur. Instituitur etiam quasi provinciale sacerdotium decreto quo Antiochus, Commagenus rex, statuit fore ut populis liceret, in proximum quodque templum, ad celebranda festa in regis honorem decreta, convenire.

Ut a tota provincia ita et a singulis civitatibus et Caesares et Graeci reges colebantur. Sed de municipalibus sacerdotiis non longius loquendum est, ea enim erat Graecarum Romanarumque civitatum condicio, ut municipalia sacerdotia fuerint illis maxime congrua.

Alios etiam honores plurimos quos Caesaribus tributos novimus, nostris antea regibus datos cernimus. Nomina mensium sunt mutata ut regia nomina acciperent, ut postea apud Romanos de mensibus Julio et Augusto et aliis actum est. Immo ut Augusti Claudiique et aliorum nominibus, Augustales Claudialesque, sic Ptolemaeorum Attalorumque nominibus collegia quaedam decorata sunt, vocatique sodales : Φιλομητώρειοι, Βασιλισταί et Ἀτταλισταί.

Quae cum ita sint quis negabit Caesarum cultum ab Alexandri et successorum ejus cultu aliquid mutuavisse, praesertim si anamadverterit primos Asianos, statim post Actiacam victoriam, ab Octavio petiisse ut templum novo orbis domino erigere liceret?

In uno tamen differt cultus quem Caesares acceperunt ab eo qui Graecis regibus tributus est. Augustus enim principem, ut ita dicam, civium suorum Romae se profitebatur, et ab illis non rex sed liberae urbis magistratus censeri volebat, in provinciis vero quasi civitatis totius personam gerebat. Proinde, ut ait Suetonius, « templa in nulla provincia nisi communi suo Romaeque nomine recepit, » et « in urbe pertinacissime abstinuit hoc honore (1). » Longe alia cogitavisse

(1) Suetonius, *August.*, 53.

Alexandrum patet ex iis quae diximus. Non enim e libera Graeciae civitate oriundus erat nec se primum inter pares putabat, sed, cum regiam potestatem hereditate accepisset, eodem jure Graecorum Barbarorumque volebat esse dominus. Idcirco Macedones prosternere corpora Asiaticorum more jussit, rogavitque Graeciae civitates ut divinitatem suam decretis agnoscerent. Ita post eum Ptolemaei et Seleucidae, aequo jure, omnibus, qui eorum dicioni subjacebant, imperaverunt pariterque ab omnibus adorati sunt, dum, post Augustum, Caesares, et si Romae potentiores erant, tamen erga suos cives modestius se gerere cogebantur, et in provinciis solummodo vere domini habebantur adorabanturque.

Cum vero postea inter provinciales civesque paulatim omnis distinctio fere evanuit, tum seipsos imperatores, etiam Romae et in nummis, vocare ausi sunt : dominos et deos.

Non etiam diutius inquirendum est cur imperatores Romani, Alexandri successorumque ejus exempla imitati, dii haberi voluerint. Ea enim omnibus mens fuit quam prodebat Anaxarchus, cum Macedones ad Bactra inter cenam alloqueretur : « ut majestate imperii firmior fieret potestas. »

APPENDIX A.

NOMINA SACERDOTUM ALEXANDRINORUM.

ANNI REGUM.	ANTE CHR. NAT.	NOMINA SACERDOTUM.
Ptolemaei II Philadelphi.		
Anno 21.	264	Democrites (?) Asclepiadoti f. (1).
» 29.	256	Antimachus Cebetis (2).
» 33.	252	Aetus Apollonii (3).
» 36.	249	Apinatus Apinati (4).
Ptolemaei III Evergetae.		
Anno 2.	246	Tlepolemus (?) Altibii (5).
» 4.	244	Archelaus Demi (6).
» 9.	239	Apollonides Moschionis (7).
» 13.	235	Sosibius Dioscori (8).
» 15.	233	Hellenicus Hellenici (9).

(1) Papyr. Londin. *Revue égypt.*, 1880, p. 6.
(2) Papyr. Lugd. Batav. *Revue égypt.*, 1880, p. 125.
(3) Papyr. Paris., 2433 (XII, 7). *Revue égypt.*, 1880, p. 6.
(4) Papyr. Paris., 2443 (XII, 8). *Revue égypt.*, 1880, p. 6.
(5) Papyr. Paris., 2438 (XII, 9). *Revue égypt.*, 1880, p. 7.
(6) Papyr. Paris., 2431 (XII, 44). *Revue égypt.*, 1880, p. 7. *Chr. Dem.*, p. LXXVI.
(7) Decr. Canop. *Journal des savants*, 1883, p. 216.
(8) Papyr. Massil. *Revue égypt.*, 1880, p. 134.
(9) Papyr. Paris., 2429 (XII, 11). *Revue égypt.*, 1880, p. 8.

ANNI REGUM.	ANTE CHR. NAT.	NOMINA SACERDOTUM.
Anno 17.	231	Mennas Menetii (1).
» 20.	228	Callistus Philistionis (2).
» 21.	227	Id. (3).
» 22.	226	Alexicratus Diogenis (4).
» 25.	223	Dositheus Dosithei (5).
Ptolemaei IV Philopatoris.		
Anno 2.	221	Demetrius Apellis (6).
» 3.	220	Id. (7).
» 5.	218	Id. (8).
» 7.	216	Aetus Aeti (9).
» 8.	215	Ptolemaeus Ptolemaei (10).
» 12.	211	Athenaeus Athenaei (11).
» 15.	208	Demosthenes Cratonis (12).
Ptolemaei V Epiphanis.		
Anno 2.	203	Aristomachus Mennae (13).
» 8.	197	Demetrius Sitaltis (14).

(1) Papyr. Londin. *Revue égypt.*, 1880, p. 119 et 135.

(2) Papyr. Paris., 2425 (XII, 39). *Revue égypt.*, 1880, p. 8.

(3) Papyr. Londin., 479. *Revue égypt.*, 1880, p. 115. *Chrest. Dem.*, p. XCVIII.

(4) Papyr. Paris., 2415 (XII, 12). *Revue égypt.*, 1880, p. 135. Papyr. Berol. *Chrest. Dem.*, p. 1.

(5) *Revue égypt.*, 1885, p. 152.

(6) Letronne, éd. Fagnan, *Opera*, II, p. 277. *Revue égypt.*, 1885, p. 153.

(7) Papyr. Vatic. *Revue égypt.*, 1880, p. 113.

(8) Papyr. Massil. *Revue égypt.*, 1880, p. 20.

(9) Papyr. Paris., 3263 (XII, 14).

(10) Papyr. Londin. 37. *Revue égypt.*, p. 20 et 135.

(11) Papyr. Bolon. *Revue égypt.*, 1883, p. 2, not.

(12) Papyr. Londin. *Revue égypt.*, 1883, p. 2, not.

(13) Papyr. Lugd. Batav., 373 *c*. *Revue égypt.*, 1880, p. 128.

(14) Papyr. Paris., 3266 (XII, 16). *Revue égypt.*, 1880, p. 124, not.

ANNI REGUM.	ANTE CHR. NAT.	NOMINA SACERDOTUM.
Anno 9.	196	Aetus Aeti (1).
» 21.	184	Ptolemaeus Ptolemaei (2).
» 23.	182	Ptolemaeus Phyrridis (3).
Ptolemaei VI Philometoris.		
Anno 21.	161	? Menetis (4).

NOMINA CANEPHORORUM ARSINOES PHILADELPHAE.

ANNI REGUM.	ANTE CHR. NAT.	NOMINA CANEPHORORUM.
Ptolemaei II Philadelphi.		
Anno 19.	266	Aristomache Aristomachi f. (5).
» 21.	264	Cassandra Axipoli (?) (6).
» 29.	256	Demonica Philonis (7).
» 33.	252	Demetria Dionysii (8).
» 36.	249	Atis Mennae (9).

(1) *C. I. G.*, 4697. *Decr. Rosett.*

(2) Papyr. Par. Letronne, *Op.*, éd. Fagnan, II, p. 277. *Revue égypt.*, 1880, p. 129.

(3) Titulus ad Damanhour repertus. *Recueil de travaux relatifs à l'archéol. ass. et égypt.*, 1885, p. 14.

(4) Papyr. Lugd. Batav., 378. *Nouv. Chrest. Demot.*, p. 113.

(5) Papyr. Paris., 2424 (XII, 38). *Revue égypt.*, 1880, p. 5.

(6) Papyr. Londin. Batav. *Revue égypt.*, 1880, p. 6.

(7) Papyr. Lugd., 373 *b*. *Revue égypt.*, 1880, p. 125.

(8) Papyr. Paris., 2433 (XII, 7). *Revue égypt.*, 1880, p. 6.

(9) Papyr. Paris., 2443 (XII, 8). *Revue égypt.*, 1880, p. 6.

ANNI REGUM.	ANTE CHR. NAT.	NOMINA CANEPHORORUM.
Ptolemaei III Evergetae.		
Anno 2.	246	Ptolemaia Theonis (1).
» 4.	244	Arsinoe Polemocratis (2).
» 9.	239	Menecratia Philammonis (3).
» 13.	235	Berenice Ptolemaei (4).
» 15.	233	Socia Licotae (5).
» 17.	231	Cerdica Adaei (6).
» 17.	231	Berenice Adaei (7).
» 20.	228	Berenice Sosipatri (8).
» 21.	227	Ead. (9).
» 22.	226	Berenice Cleantis (10).
» 25.	223	Berenice Ph...tim..krs. (11).
Ptolemaei IV Philopatoris.		
Anno 2.	221	Numenia Numenii (12).
» 3.	220	Me...ptias Menapionis (13).

(1) Papyr. Paris., 2438 (XII, 9). *Revue égypt.*, 1880, p. 7. *Chrest. Dem.*, p. LXXVI.

(2) Papyr. Paris., 2431 (XII, 44). *Revue égypt.*, 1880, p. 7.

(3) Decr. Canop., *Journal des savants*, 1883, p. 216.

(4) Papyr. Massil., *Revue égypt.*, 1880, p. 134.

(5) Papyr. Paris., 2429 (XII, 11). *Revue égypt.*, 1880, p. 8.

(6) Papyr. Paris., *Revue égypt.*, 1880, p. 119. Mense Phamenoth.

(7) Papyr. Londin., *Revue égypt.*, 1880, p. 135. Mense Epiphi.

(8) Papyr. Paris., 2425 (XII, 39). *Revue égypt.*, 1880, p. 8.

(9) Papyr. Londin., 479. *Revue égypt.*, 1880, p. 115. *Chrest. Demot.*, p. XCVIII.

(10) Papyr. Paris., 2415 (XII, 12). *Revue égypt.*, 1880, p. 135. Papyr. Berol., *Chrest. Demot.*, p. 1.

(11) *Revue égypt.*, 1885, p. 152.

(12) *Revue égypt.*, 1885, p. 153.

(13) Papyr. Vatic., *Revue égypt.*, 1880, p. 113.

ANNI REGUM.	ANTE CHR. NAT.	NOMINA CANEPHORORUM.
Anno 5.	218	Numenia (?) Numenii (1).
» 7.	216	Philesia Demetrii (2).
» 8.	215	Arsinoe Sosibii (3).
» 12.	211	Ptolemaea Dionysi (4).
» 15.	208	Proce Sentooi (?) (5).
Ptolemaei V Epiphanis.		
Anno 2.	203	Irene Cleonis (6).
» 8.	197	Nicias Apellis (7).
» 9.	196	Aria Diogenis (8).
» 21.	184	Demetria Philini (9).
» 23.	182	Arsinoe Cadmi (10).
Ptolemaei VI Philometoris.		
Anno 21.	161	Aelia Alexandri (11).

(1) Papyr. Mass., *Revue égypt.*, 1880, p. 20.
(2) Papyr. Paris., 3263 (XII, 14).
(3) Papyr. Londin, 37. *Revue égypt.*, 1880, p. 20 et 135.
(4) Papyr. Bolon., *Revue égypt.*, 1883, p. 2, not.
(5) Papyr. Londin., *Revue égypt.*, 1883, p. 2, not.
(6) Papyr. Lugd. Batav., 373 *c*. *Revue égypt.*, 1880, p. 128.
(7) Papyr. Paris., 3266 (XII, 16). *Revue égypt.*, 1880, p. 124, not.
(8) *C. I. G.*, 4697.
(9) Papyr. Paris., Letronne, *Op.*, II, p. 277. *Revue égypt.*, 1880, p. 129.
(10) Titulus ad Damanhour repertus. *Recueil de travaux relatifs à l'arch. égypt. et assyr.*, 1885, p. 14.
(11) Papyr. Lugd. Batav., 378. *Nouv. Chrest. Demot.*, p. 113.

NOMINA ATHLOPHORORUM BERENICES PHILOPATORIS.

ANNI REGUM.	ANTE CHR. NAT.	NOMINA ATHLOPHORORUM.
Ptolemaei IV Philopatoris.		
Anno 15.	208	Diogenes Phileti (?) f. (1).
Ptolemaei V Epiphanis.		
Anno 2.	203	Didyme Menandri (2).
» 8.	197	Aria Diogenis (3).
» 9.	196	Pyrrha Philini (4).
» 21.	184	Tryphaena Menapionis (5).
» 23.	182	Demetria Telemachi (6).

(1) Papyr. Londin., *Revue égypt.*, 1883, p. 2.
(2) Papyr. Lugd., 373 *c. Revue égypt.*, 1880, p. 128.
(3) Papyr. Paris., 3266 (XII, 16). *Revue égypt.*, 1880, p. 124.
(4) *C. I. G.*, 4697.
(5) Papyr. Paris., Letronne, *Op.*, II, p. 277. *Revue égypt.*, 1880, p. 129.
(6) Titulus ad Damanhour repertus, *Recueil de travaux*, 1885, p. 14.

APPENDIX B.

TITULUS TUMULI AD NEMROUD-DAGH REPERTI.

Col. I *a*.

(Βασιλεὺς μέ)γας Ἀντίοχος, Θεὸς Δίκαιος Ἐπι
φανὴς, (φιλο)ρώμαιος καὶ φιλέλλην, ὁ ἐγ βασι
λέως Μιθρα(δ)άτου Καλλινίκου καὶ βασιλίσ
σης Λαοδίκ(η)ης Θεᾶς Φιλαδέλφου (τ)ῆ(ς ἐκ)
Βασιλέω(ς) Ἀντιόχου Ἐπιφανοῦ(ς) Φι
(λομ)ήτορ(ος) Καλλινίκου,
ἐπικ(αθω)σι(ω)μένων βάσεων ἀσύ(λο)ις
γράμμασιν (ἔργα) χάριτος ἰδίας εἰς χρόνον
ἀνέγραψεν αἰώνιον. Ἐγὼ πάντων
ἀγαθῶν οὐ (μό)νον κτῆσιν βεβαιοτάτην
ἀλλὰ καὶ ἀπόλαυσιν ἡδίστην ἀνθρώ
ποις ἐνόμι(η)σα τὴν εὐσεβείαν, τὴν αὐτὴν

(τε κρ)ίσ(ιν) καὶ δυνάμεως εὐ(τυ)χοῦς καὶ
χρήσεως μακαριστῆς αἰτίαν ἔσχον, παρ' ὅλον
τε τὸν βίον ὤ(φ)θην ἄπασι βασιλείας
ἐμῆς καὶ φύλακα πιστοτάτην καὶ
τέρψιν (ἀ)μί(μη)τον ἡγούμενος
τὴν ὁσιότητα. Δι' ἃ καὶ κινδύνους
μεγάλους παραδόξως διέφυγον,

I *b*.

καὶ (πράξ)εων δυσελπίστ(ων εὐ)μη(χ)άνως
ἐπεκράτησα καὶ βίου πολυετοῦς μακαριστῶς
ἐπληρώθην. Ἐγὼ πατρῴαν (ἀ)ρχὴν
(π)αραλαβ(ὼν) βασιλείαν. . . . . ς ὑπή
κοον (θρόν)οις κοινὴν θε(ῶ)ν ἁπάν
των εὐσεβείᾳ γνώμης ἐμῆς δ(ία)ιταν
ἀπέδειξα, μορφῆς μὲν εἰκόνας παντοίᾳ
(τ)έχνῃ καθ' ἃ παλαιὸς λόγος Ἱερσῶν
τε καὶ Ἑλλήνων — ἐμοῦ γένους εὐτυχεστά
τη ῥίζα — παραδέδωκε κοσμήσας, θυσίαις
δὲ καὶ πανηγύρεσιν, ὡς ἀρχαῖός τε νόμος
καὶ κοινὸν ἀνθρώπων ἔθος ἔτι δὲ ἐμὴ δικαία

φροντὶς προσεξεῦρε, τιμὰς ἐπιφανῶς
γεραράς. Ἐπεὶ δὲ ἱεροθεσίου τοῦδε
κρηπῖδα ἀπόρθητον χρόνου λύμαις οὐρανίων
ἄγχιστα θρόνων καταστήσασθαι προενοήθην,
ἐν ᾧ μακαριστὸν ἄχρι γήρως ὑπάρξαν
σῶμα μορφῆς ἐμ(ῆ)ς, πρὸς οὐραν(ίο)υς Διὸς
Ὡρομάσδου θρόνους θεοφιλῆ ψ(υ)(χ)ὴν

II *a*.

/ /
π(ρ)οε(π)έμ(ψα)ν εἰς τὸν ἄπειρον αἰῶνα
κο(ιμ)ήσε(ται) · τότε δὴ καὶ τόνδε
(χῶ)ρον ἱερὸ(ν) (ἁπά)ντων κοινὸν ἀναδεῖ
(ξαι) θεῶν ἐ(ν)θρόνισμα προειλάμ(ην),

ὅπ(ω)ς μὴ μόνον ἐμῶν προγόνων οὗτο(ς)
ὃν ὁ(ρᾷ)ς ἡρ(ῷο)ς (λ)όχος ἐπιμέ
λεία(ις) ὑπάρχῃ καθιδρυμένος, ἀλλὰ
καὶ δαιμόνων ἐπιφανῶν θεῖος τύπος
ἐν ἁ(γί)ῳ λόφῳ καθοσιωθεὶς, μηδὲ τόν
δε τὸν τόπον ὀρφανὸν ἐμῆς εὐσεβείας
ἔχῃ μ(ά)ρτυρα. Διόπερ ὡς ὁρᾷς Διός τε
Ὡρομάσδου καὶ Ἀπόλλωνος Μ(ί)θρου
Ἡλίου Ἑρμοῦ καὶ Ἀρτάγνου Ἡρακλέους
Ἄρεως, ἐμῆς τε πατρίδος παντρόφο(υ)
Κο(μμ)αγην(ῆ)ς θεοπρεπῆ (ταῦτα
ἀγάλ)ματα (κα)θιδ(ρυσάμ)ην, (ἀπ)ό
τε λιθεί(ας) μιᾶς δαίμοσιν ἐπηκόοις σύνθρονον
χαρακτῆρα μορφῆς ἐμῆς συνανέθηκα, καὶ τύχης
(νέας) ἡλικιῶτιν ἀρχαίαν θεῶν μεγάλων
τιμὴν ἐποιησάμην, μίμημα δίκαιον
φυλάσσων ἀθανάτου (φρον)τίδος,

II *b*.

ἥ πολλάκις ἐμοὶ παραστάτ(ις) ἐπιφαν(ὴς) εἰς
βοήθειαν ἀγώνων βασιλικῶν εὐμενὴς
ἑωρᾶτο. Χώραν τε ἱκανὴν καὶ προσόδους
ἐξ αὐτῆς (ἀ)κινήτους, εἰς θυσιῶν πολυτέ
λειαν, ἀπένειμα, θεραπείαν τε ἀνέκλει
πτον καὶ ἱερεῖς ἐπιλέξας σὺν πρεπούσαις
ἐσθῆσι Περσικῷ γένει κατέστησα, κόσμον
τε καὶ λιτουργίαν πᾶσαν ἀξίως τύχης ἐμῆς
καὶ δαιμόνων ὑπεροχῆς ἀνέθηκα. Περὶ δὲ
ἱερουργιῶν ἀϊδίων διάταξιν πρέπουσαν ἐποι

ησάμην, ὅπως σὺν αἷς ἀρχαῖος καὶ κοινὸς
νόμος ἔταξεν θυσίαις, καὶ νέας ἑορτὰς εἰς
τε θεῶν σεβασμὸν καὶ ἡμετέρας τιμὰς ἅπαν-
τες οἱ κατ' ἐμὴν βασιλείαν ἐπιτελῶσιν.

/ / / / / / / (σ)ωμάτ(ος μὲγ) γὰρ
ἐ(μοῦ γενέθ)λιον Αὐδ ναίου ἐκκαιδεκάτην,
διαδήματος δὲ (Λώ) ου δεκάτην ἀφιέρωσα
μεγάλων δαιμόνων (ἐπι)φανείαις, αἵτινες
(ἐμοὶ κ)αθη(γε)μόνες (εὐτυ)χοῦς ἀρχῆς καὶ
βασιλείᾳ πάσῃ κοιν (ῶν) ἀγαθῶν
αἴτιαι κατέστησαν.

III *a*.

Χάριν τε θ(υσιῶν π)λήθους καὶ (μ)εγέθους
εὐωχίας, (δύο π)ροσκαθωσίασα ἡμέρας, ἑκατέ
ραν τούτων (ἐ)νιαύσιον ἑορτὴν. Βασιλείας δὲ
πλῆθος εἰ(ς) σ(υ)ναγωγὰς καὶ πανηγύρεις καὶ θυσίας
ταύτας δι ε λῶν κατὰ κώμας καὶ πόλεις τοῖς ἔγγιστα
τεμένεσι, ὡς ἥρμοζεν ἑκάστοις κατὰ γειτνίαν
ἐνεορτάζε (ιν), ὥρισα. Τοῦ δὲ λοιποῦ χρόνου, κατὰ
μῆνα, μί (αν) ὁμώνυμον ταῖς εἰρημέναις ὑπὲρ
μὲν γε (νέσ)εως ἐμῆς τὴν (ἑκ)κα(ιδ)εκάτην, ὑπὲρ
δ' ἀναλή (ψ)εως διαδήματος τὴν δεκάτην,
ἀεὶ διὰ τῶν (ἱ)ερέων γεραίρεσθαι παρήγγειλα.
Διαμονῆς δὲ τούτων ἕνεκεν, ἣν ἐν φρονίμοις
ἀνδράσιν εὐ(σεβὲς) ἀεὶ τηρεῖν, οὐ μόνον εἰς
τιμὴν ἡ (μετ)έραν, ἀλλὰ καὶ μακαρ(ιστ)ὰς
ἐλπίδας ἰδίας ἑκάστ(ου τύχης
ἐγὼ καθοσιώσας, ἐν στήλ(αις) ἀσύλοις ἐχ άραξα

γνώμῃ θεῶν ἱερὸν νόμον ὃν θέμις ἀνθ
αἷς ἁπάντων οὓς ἂν χρόνος ἄπειρος εἰς δι
χώρας ταύτης ἰδίᾳ βίου μοίρᾳ καταστήσῃ
λον, εἰδότας ὡς χαλεπὴ νέμεσις βασιλ
νων τιμωρὸς ὁμοίως ἀμελίας τε καὶ ὕβρ
αν διώκει, καθωσιωμένων τε ἡρώων
νόμος ἀνειλάτους ἔχει ποινάς.

ρώπων γενε
αδοχὴν
τηρεῖν ἄσυ
ικῶν δαιμό
εως ἀσέβει
ἀτιμασθεὶς

III *b*.

Τὸ μὲ(ν) γὰρ ὅσιον ἅπαν κοῦ(φ)ον (ἔργον τῆς)
δὲ ἀσεβ εἰας ὀπισθοβαρ(εῖς) ἀνάγ(και. Νόμον)
δὲ τοῦτ ον φωνὴ μὲν ἐξήγγει(λ)εν ἐ(μὴ, νοῦς δὲ)
θεῶν (ἐ κύ)ρωσεν.

Νόμος.

Ἱερεὺς ὅ στις ὑπ' ἐμοῦ καθέσταται θεῶν (ἡρώων τε)
τούτων, οὓς περὶ κορυφὴν Ταυρείων αὐ(χένων)
ἱεροθεσ(ίῳ) σώματος ἐμοῦ καθιδρυσάμη(ν, ὅστις τε)
ἂν ὑστέρῳ χρόνῳ τάξιν λάβῃ ταύτην, (ἐκεῖνος),
ἠλευθερω μένος ἄλλης χρείας ἁπάσης, ἀ(νεμπόδιστος)
ἀπροφάσ ιστός τε ἱεροθεσίῳ τούτῳ (προσκαρτερείτω),
προνο(ού) μενος θεραπείας τε καὶ κό(σμου πρέ)
ποντος ἱερῶν ἀγαλμάτων. Ἐν δὲ γε(νεθλίοις)
ἡμέρα(ι ς, ἃς ἐγὼ) ἐμμήνους ἐνιαυσίους τε (ἑορτὰς)

θεῶν τε κἀμοῦ κατὰ πᾶν ἔτος ἀεὶ διατέταχα,
κόσμον Περσικῆς ἐσθῆτος ἀναλαμβάνων, ὃν καὶ
χάρις ἐμὴ καὶ πάτριος νόμος ἡμετέρου γένους
αὐτῷ περιέθηκεν, στεφανούτω πάντας τοῖς χρυσοῖς
στεφάνοις οὓς ἐγὼ καθιέρωσα δαιμόνων εὐσεβέσι τιμαῖς,

προσόδους τε λαμβάνων, ἀπὸ κωμῶν ὧν ἐγὼ καθωσίωσα,
φύσεως ἡρωικῆς χάρισιν ἱεραῖς ἐπιθύσεις ἀφειδεῖς λιβανωτοῦ
καὶ ἀρωμάτων ἐν βωμοῖς τούτοις ποιείσθω, θυσίας τε
πολυτελεῖς εἰς τιμὰς θεῶν τε καὶ ἡμετέρας ἀξίως ἐπιτελείτω.

IV *a*.

(Τρ)απέζας μὲν ἱερὰς πρεπούσης θοίνης
(γ)εμί(ζων), κρατῆρας δὲ ὑποληνίους ἀφθ(όν)
(ν)ου κράματο(ς) πληρῶν, δεχόμενός τε σὺν
θεραπεία (π)ᾶν τὸ παρατυγχάνον πλῆθος, ἐπὶ
χῶρον καὶ (π)αρεπίδημον, κοινὴν ἀπόλαυσιν
ἑορτῆς π(αρεχ)έτω συναγωγαῖς ὄχλων, αὐτὸς
μὲν ὡς ἔθος ἱερωσύνης τιμῇ γέρας
(ἐ)ξαιρούμενος, τοῖς δὲ λοιποῖς, χάριν
(ἐ)μ(ὴν), εἰς ἐλευθέραν ἡδονὴν
διανέμων, ὅπως ἕκαστος ἐν
(ταύταις ταῖς) ἱεραῖς ἡμέραις ἀνελλιπῆ

χορηγίαν λ(αμβά)νων, ἀσυκο
φάντητο(ν ἔ)χ(ῃ τ)ὴν ἑορτὴν
εὐωχούμενος ὅπου προαιρ(οῖ)ται.
Τοῖς τε (ἐκπ)ώ(μ)ασιν οἷς ἐγὼ κα θ(ιέρ)ωσα
δι(ακ)ονείσθωσαν, (ἕως) ἂν ἐν ἱερῷ τό πῳ συνό
(δου) κοινῆς μεπαλαμβάνωσιν, ὅσον τε πλῆ
θος εἰς τοῦτο καθιέρωσα μουσικ ῶν καὶ
(ὅ)σον ἂν ὕστερον καθοσιωθῇ, υἱοὶ τε τούτων
καὶ θυγατέρες, ἔγγονοί τε αὐτῶν πάντες,
διδασκόμενοι τὰς αὐτὰς τέ (χνας),

IV *b*.

ἀπαρε(ν)όχλητοι μὲν τ(ῶ)ν (ἄ)λλων ἀπά(ν)
των ἀφ εἰσθωσ(αν), τα(ῖ)ς δὲ διατε(τ)α
γμένα ις ὑπ' (ἐ)μοῦ συν όδοις ἐνταῦθα προ(σ)
καρτερ εί(τ)ω(σα)ν, (ἀ)π(ρ) οφασίστως τε τὰς
λιτουρ (γί)ας ἐφ' ὅσον ἂν βούληται χρόνον ἡ
σύνοδο ς ποιείσθωσαν. Μηδενὶ δὲ ὅσιον ἔ(στω)
μήτε βασιλεῖ, μήτε δυνάστει, μήτε
ἱερεῖ, μήτε ἀρχοντι, τούτους ἱεροδούλους,
οὓς ἐγὼ θεοῖς τε καὶ τιμαῖς ἐμαῖς
κατὰ δαιμόνιον βούλησιν ἀνέ
θηκα, μηδὲ μ(ὴν) παῖδας ἐγγόνους

τ(ε///// ἐκεί)νω(ν/// οἵτινες ἂν)
ἐν (ἅ)παντι χρόνῳ τοῦ(το γέ)νο(ς δια
δ)έχονται, μήτε αὐτῷ καταδουλ(ώ)
σασθαι, μήτε εἰς ἕτερον ἀπαλλοτριῶσαι
τρόπῳ μηδενὶ, μήτε κακῶσαί τινα τούτων ἢ
περισπᾶσαι λιτουργίας ταύτης, ἀλλ' ἐπιμε
λείσθωσαν μὲν αὐτῶν ἱερεῖς, ἐπαμυνέτωσαν
δὲ βασιλεῖς τε καὶ ἄρχοντ(ες ἰ)διῶταί τε
πάντες, οἷς ἀποκείσεται παρὰ θεῶν καὶ
ἡρώων χάρις εὐσεβείας.

V *a*.

Ὁμοίως δὲ μη(δ)ὲ κώμας, ἃς ἐγὼ καθιέ
ρωσα δαίμοσιν τοιούτοις, μηδενὶ ὅσιον
ἔστω, μήτε ἐξιδιάσασθαι, μήτε ἐξαλλο

τριῶσαι, μήτε με(τα)διατάξαι, μήτε
βλάψαι κατὰ μηδένατρόπον κώμας ἐκεῖ
νας ἢ πρόσοδον ἣνἐγὼ κτῆμα δαιμόνων
ἄσυλον ἀνέθηκα ·ὡσαύτως δὲ μηδὲ
ἄλλην παρεύρεσιν εἰς ὕβριν, ἢ ταπείνωσιν,
ἢ κατάλυσιν, ὧν ἀφωσίωκα θυσιῶν καὶ
συνόδων ἐπιμηχανήσασθαι μηδενὶ
κατὰ τιμῆς ἡμετέρας ἀκίνδυνον ἔστω.
Ὅστις δ' ἂν διατάξεως ταύτης δύναμιν
ἱερὰν ἢ τιμὴν ἡρωϊκὴν, ἣν ἀθάνατος
κρίσις ἐκύρωσεν, καταλύειν, ἢ βλάπτειν
ἢ σοφίζεσθαι, δίκαιον νοῦν ἐπιβάλληται,
τούτῳ δαιμόνων ὀργὴ καὶ θεῶν ἁπάντων,

αὐτῷ καὶ γένει, πρὸς ἅπασαν
τιμωρίαν ἀνείλατος ἔστω. Τύπον
δὲ εὐσεβείας ἣν θεοῖς καὶ προγόνοις
εἰσφέρειν ὅσιον, ἐγὼ παισὶν ἐγγόνοις
τε ἐμοῖς ἐμφανῆ καὶ δι' ἑτέρων πολλῶν
καὶ διὰ τούτων ἐκτέθεικα,

V *b*.

νομίζω τε αὐτοὺς καλὸν ὑπόδει
γμα μιμήσασθαι γένους αὔξοντας
ἀεὶ συγγενεῖς τιμὰς, ὁμοίως τ' ἐμοὶ
πολλὰ προσθήσειν ἐν ἀκμῇ χρόνων
ἰδίων εἰς κόσμον οἰκεῖον. Οἷς ταῦτα
πράσσουσιν ἐγὼ πατρώους ἅπαντας
θεοὺς ἐκ Περσίδος τε καὶ Μακέτιδος
γῆς Κομμαγηνῆς τε ἑστίας ἵλεως

εἰς πᾶσαν χάριν εὔχομαι διαμένειν.
Ὅστις τε ἂν βασιλεὺς ἢ δυνάστης ἐν
μακρῷ χρόνῳ ταύτην ἀρχὴν παρα
λάβῃ νόμον τοῦτον καὶ τιμὰς ἡμε
τέρας διαφυλάσσων καὶ παρὰ τῆς
ἐμῆς εὐχῆς ἵλεως δαίμονας καὶ
θεοὺς πάντας ἐχέτω. Παρανό
μῳ δὲ γνώμῃ κατὰ δαιμόνων

τιμῆς / / / / καὶ χωρὶς ἡμετέρας
ἀρᾶς, παρὰ θεῶν ἐχθρὰ πάντα.

INDEX CAPITUM

(Numeri arabici sunt paginarum)

PROOEMIUM. — *Num ante Alexandrum divinos honores acceperint qui rebus publicis Graecorum praefuerunt*. 1

Graeci urbium conditores et multos alios, ob diversa merita, post mortem rite coluerunt, 2. — Neminem coluerunt, dum vivebat, praeter in Sicilia. — Hujus facti causae enumerantur, 3. — Num Lacedemonii reges suos coluerint ut semideos? 4. — Honores divini Lysandro tributi. — Honores divinos Agesilaus deridet, 5. — Philippus divinitatem usurpat, 6.

CAPUT PRIMUM. — *De divinis honoribus quos vivus accepit Alexander*. 7

Alexander vult Jovis filius credi, 7. — Quam ob causam deorum habitum prae se gesserit, 8. — Arriani dictum, 9. — Macedones regis superbiam aegre ferunt, 10. — Alexandri quaedam facete dicta, 10. — Alexander Asiaticos mores magis magisque usurpat, 11. — Philotae supplicium, 12. — Convivium ad Bactra, 13. — Callisthenis supplicium, 16. — Alexander a Graecis civitatibus deus vult haberi, 17. — Honores Olympiadi et Hephestioni tributi, 19. — Refutatur doctissimi viri Hogarth sententia, 20. — Quam ob causam Alexander ut a Barbaris ita et a Graecis deus haberi voluerit, 25.

CAPUT II. — *De divinis honoribus quos Alexander accepit post mortem*. 27

Alexandro mortuo, Graeci decretorum auctores damnant. — Alexandri religio in dies crescit, 27. — Alexandrum Eumenes, Ptolemaeus Seleucusque colunt, 28. — Caesarum pietas in Alexandrum, 29. — Urbium Graecarum pietas in Alexandrum romana aetate, 30. — Amuleta Alexandri capite signata, 32.

Caput III. — *De divinis honoribus quos Macedonum reges post Alexandrum acceperunt*.. 36

Honores ab Atheniensibus Demetrio et Antigono tributi, 36. — Num Demetrii sacerdotes fuerint eponymi? 37. — Novae tribus vocantur Antigonis et Demetrias, mensis Demetrio, 38. — Festa Demetrii nomine appellata, 39. — Demetrius in pessima vitia ruit, 40. — Demetrium Athenienses adulantur. 41. — Demetrium et ejus adulatores lacessunt comici poetae, 43. — Demetrii victi arae evertuntur. — Honores Lysimacho et Antigonis Gonatae et Dosoni tributi, 45.

Caput IV. — *De divinis honoribus quos Ptolemaei acceperunt*.. . 46

I. — *De divinis honoribus quos Aegyptii Ptolemaeis tribuerunt.* 46

Ptolemaei eadem divina nomina gerunt quae olim Pharaones gerebant, 46. — Ptolemaei Dionyso nati dicuntur, 47. — Decreta sacerdotum Aegyptiorum in honorem Deorum Evergetarum (Decretum Canopeum), 49. — Decretum in honorem Epiphanis latum (Lapis Rosettanus), 52. — Quando Ptolemaei divina cognomina acceperint, 53. — Ptolemaei antiquis Aegypti diis sociantur, 56.

II. — *De divinis honoribus quos Graeci Ptolemaeis tribuerunt*. . 59

Sacerdos Alexandri et Philadelphi instituitur Alexandriae, regnante Philadelpho, 59. — Sacerdotum Alexandrinorum condicio, 61. — Ptolemaide Soteris sacerdos creatur. — Mentio de sacerdotibus Ptolemaidis fit in contractibus, regnante Philopatore, 65. — Alii sacerdotes Ptolemaide creati, 66. — Sacerdotum Ptolemaidis condicio, 68. — Juratur per regium nomen, 69.

III. — *De divinis honoribus quos Aegyptiae reginae acceperunt.* 69

Berenicen Philadelphus consecrat. — Reginae maritis suis ut deae sociantur, 70. — Honores reginis proprii. — Honores Berenicei Evergetae tributi (Decretum Canopeum), 71. — Sacerdotia reginarum Alexandrina. — Canephoria Arsinoes Philadelphae, 73. — Athlophoria Berenices, 74. — Sacerdotium Arsinoes Philopatoris, 75. — Sacerdotum Alexandrinarum condicio, 76. — Sacerdotia reginarum Ptolemaide, 77.

IV. — *De divinis honoribus quos Ptolemaei acceperunt extra Aegyptum*.. 78

Rhodii Soterem colunt, 78. — Ptolemaeorum cultus in insula Cypro, 79. — Ptolemaeorum cultus Telmessi in Lycia, 80. — Festa apud Delios Lesbiosque instituta, 81. — Honores Ptolemaeis Halicarnassi et Athenis dati, 82.

V. — *De divinis honoribus quos Ptolemaei a privatis acceperunt.* 82
Quibus condicionibus reges colere privatis licuerit, 82. — Collegia artificum Ptolemaeos colunt, 83. — Collegia in Ptolemaeorum honorem instituta, 84. — Honores Ptolemaeis extra Aegyptum a privatis tributi, 85.

Caput V. — *De divinis honoribus quos acceperunt Seleucidae.* . 86
I. — *De divinis honoribus quos acceperunt reges Syriae.* . . . 86
Seleucidae Apollinem generis sui quasi auctorem colunt, 86. — Divina Seleucidarum cognomina, 87. — Arae Seleucidis aedificatae, 91. — Sacerdotes Seleucidarum, 92. — Cultus mortuorum regum a vivi regis cultu sejungitur, 93. — Iones Antiochum Soterem colunt, 93. — Cultus Seleucidarum Alexandri cultui jungitur, 94. — Provinciales Seleucidarum sacerdotes, 95. — Judaei coguntur ut Antiochum Epiphanem colant, 96.
II. — *De divinis honoribus quos acceperunt reginae Syriae.* . . 96
Reginae Syriae maritis suis ut deae sociantur, 96. — Sacerdotes reginarum provinciales, 97.

Caput VI. — *De divinis honoribus quos Attali acceperunt.* 99
I. — *De divinis honoribus quos acceperunt reges Pergameni.* . 99
Attalus tauri filius, 99. — Honores Attalo Pio Athenis et Tei et Sesti tributi, 100. — Honores Attalo Philometori et Eumeni Soteri tributi, 102. — Cultus regum mortuorum a vivi regis cultu sejungitur, 104. — Collegia in honorem Attalorum instituta, 105.
II. — *De divinis honoribus quos acceperunt Pergamenae reginae.* 105
Templum Appolonidis Cyzicenum, 106. — Honores Appollonidi et Stratonicei Tei tributi, 106.

Caput VII. — *De divinis honoribus quos acceperunt reges Commageni.* 108
Antiochus et Laodice dii vocantur, 106. — Quis fuerit ille Antiochus? 109. — Titulus ad Nemroud-Dagh repertus explicatur, 110.

Caput VIII. — *De divinis honoribus regum Bactrianorum Parthorumque.* 117
Reges Bactriani se Alexandri et Seleucidarum successores proclamant, 117. — Divina regum Bactrianorum nomina, 118. — Divina regum Parthorum nomina, 119. — Divina regum Characenes nomina, 120.

Conclusio. 121
Alexander divini generis auctor est, 121. — Comparantur inter se Seleucidarum et Ptolemaeorum cultus, 122. — Regum Graecorum cultus cum Caesarum cultu comparatur, 124.

Appendix A. 127
Nomina sacerdotum Alexandrinorum. 127
Nomina Canephororum Arsinoes Philadelphae. 129
Nomina Athlophororum Berenices Philopatoris. 132

Appendix B. 133
Titulus Graecus ad Damanhour repertus. 133

Vidi ac perlegi.

Lutetiae Parisiorum, in Sorbona, pridie Non. mart. anni MDCCCLXXXX.
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,

A. HIMLY.

Typis mandetur :

Academiae Parisiensis Rector,

GRÉARD.

TOLOSAE. — EX TYPIS A. CHAUVIN ET FILS, VIA DICTA DES SALENQUES, 28.

DG123 .B56
De divinis honoribus quos acceperunt
Princeton Theological Seminary–Speer Library
1 1012 00022 3083